Fons Olei
WALPVRGINI
APVD EYSTETTENSES EXPLICATVS ATQVE DEFENSVS.

A

JACOBO GRETSERO SOCIETATIS JESV THEOLOGO.

Ad

REVERENDISSIMVM ET ILLVSTRISS.mum PRINCIPEM AC DOMINVM DN. JOANNEM CHRISTOPHORVM EPISCOPVM EYSTETTENSEM, &c.

Acceſſit

Appendix recentium quorundam miraculorum quæ Deus per Oleum S. VVALPVRGIS patrauit.



JNGOLSTADII,

Ex Typographeo Ederiano, apud ELISABETHAM ANGERMARIAM, Viduam.

ANNO M. DC. XX.

REVERENDISSIMO ET ILLVSTRISSIMO PRINCIPI AC DOMINO, DOMINO IOANNI CHRISTOPHORO EPISCOPO EYSTETTENSI, &c.

IACOBVS GRETSERVS.



INter Græcos Patres, ILLVSTRISSIME PRINCEPS, valdè claret Theodoretus, vir doctissimus, Episcopus Cyri; qui magnam luctam suscepit cum Marcionitis, Magis & hæreticis, ab antiquissimo hęresiarcha Marcione Pontico nomen hoc adeptis; quos intra suæ diœceseos limites nullo loco passus est consistere; sed aut ad Catholicam fidem redeundum, aut aliò eundum fuit. Qua sua pastorali cura tam dæmonum, quàm eorum, quos nefarij spiritus miserè deceperant, odia in se concitauit, ita vt vitæ etiã ipsius insidias struerent. *Execrandus Marcio multas spinas seminauit in regione vrbis Cyri*, inquit Theodoretus in historia religiosa cap. 21. quo vitam & res gestas Iacobi sanctissimi Eremitę describit.

ſcribit. *Eas cum conarer euellere radicitus, omnẽ laborem ſubibam, & omnibus machinis aſsiduè vtebar. Qui autẽ mea fruebantur cultura, cum me eo nomine deberent diligere, pro eo, vt prophetice dicã, detrahebant mihi: ego autem orabam, & reddebant mala pro bonis, & odium pro dilectione mea: & magicis vtentes præſtigijs, & malignorũ freti ope dæmonũ, conabantur bellum gerere quod ſub viſum non caderet: & noctu venit quidã dæmon exitialis, clamans, & lingua vtens Syriaca: Cur tu bellum geris cum Marcione? Cur hanc pugnam aduerſus eum ſuſcipis? Quanam is te vnquam affecit moleſtia? Deſine belligerare, deſiſte à maleuolentia; aut diſces experientia quantũ bonum ſit quies. Scias quod te iam pridem confodiſſem, niſi chorum martyrum te cuſtodientem vidiſſem cum Iacobo.*

Subiungit Theodoretus. *Hæc ego audiui, & dixi cuidã ex familiaribus, qui prope me dormiebat, Audis, inquam, quæ dicuntur? ille vero, Omnia, inquit, audiui: & cum vellem ſurgere, & reſpicere & ſcire, quis loqueretur, tua cauſa quieui, cum te putarem quieſcere. Ambo itaq; ſurgentes reſpeximus, neq; vllum qui moueretur vidimus, nec qui*

qui loqueretur, audiuimus. Illa verba alij quoque qui nobiscum habitabant, audiuerunt.

Quid autẽ malus genius per CHORVM MARTYRVM innuerit, his verbis explicat Theodoretus. *Intellexi, quod martyrum quidẽ chorum dicebat lecythum Olei Martyrum, qui cum à multis Martyribus collectam haberet benedictionẽ, pendebat à meo lecto: sub meo autẽ capite erat magni Iacobi vetus amictus, qui quouis claustro adamantino validior mihi fuit.* Theodoretus ergo contra veneficos & hæreticos fortissimè dimicans, oleo ex varijs Martyrum monumentis collecto, & à lectulo, in quo quietem capiebat, pensili, sanctique viri lacernâ, tanquam pretiosissimo, vt vere erat, lipsano, se aduersus Tartareas molitiones communiebat.

Intelligit opinor, ILLVSTRISSIMA CELSITVDO VESTRA, quorsum tendam, quæ dira cum gente lamiarũ & hæreseon tot annos iam bella gerens, non paruulã olei sacri ampullã, vt Theodoretus, sed integrum limpidumq; fontem tutelæ loco possidet, nempe eum, quem fluxus olei ex castissimis B. VVALPVRGÆ Reliquijs efficit: Fontem verè diuinum, admirandũ omniumq;

vocibus & calamis decantandũ. Vice magni illius Iacobi, in quo Theodoretus prælia Dñi aduersus Marcionitas prælians, plurimũ spei collocabat, sunt Diui, patriæ indigetes, VVILLIBALDVS, VVVNIBALDVS, RICHARDVS, SOLA, SEBALDVS; & alij qui procul dubio ILLVSTRISS. CELS. VESTRAM apud Altissimum precibus suis indesinenter adiuuant.

Et si quis hodie similis Anachoretæ Iacobo exsisteret, fortasse simile quid audiret eius, quod audiuit Iacobus: cum enim Theodoreto periculosissimo in loco certamen cum Marcionitis ingresso, Iacobus insomnis noctẽ integram precibus & lamentis impendisset: *audiui, inquit, vocem dicentẽ; ne timeas ô Iacobe: Magnus enim Baptista* (cuius Reliquias ex Palæstina Theodoretus sibi adferendas curauerat) *tota nocte orat* DEVM *vniuersorũ: facta enim fuisset magna cædes, nisi illius intercessionib. fuisset extincta diaboli audacia.*

Nec minus solicitè à S. VVALPVRGA, S. VVILLIBALDO, S. VVVNIBALDO, alijsq; domesticis Diuis ILLVSTRISS.am C. V.ram postulasse & impetrasse, & etiamnum postulare & impetrare arbitror, quod Theodoretus à suo Iacobo postulauit & im-

& impetrauit: *Supplex ab eo contendebã, vt oraret* DEVM *vniuersorum, vt redderet mihi segetem mundã à zizanijs, & à seminibus hæreticis eam omnino liberaret: me enim valde angebat abominandi Marcionis error, qui plurimũ inualuerat.* Erant autem Marcionistæ hæretici simul & Venefici, vt antea dictum; quorum machinas & tendiculas cœlestibus istis præsidijs, & amuletis Theodoretus amoliebatur, præsertim vrceolo sacri olei; cuius loco CELS. VESTRÆ integer fons S. VVALPVRGIS concessus est; de quo, nescio qua ratione, cum non ita pridem Diuos Eystettenses in publicum darem, concisius, ne dicam ieiunius, quã decebat, à me disputatum est. Sed quod tunc omissum, id nunc resarcio, & quidem, nisi fallor, cum fœnore; cuius rei ipsam ILLVSTR.mam CELS. V.ram iudicem fero. Cui cum totum opus de Diuis Eystettensibus sacrum atq; dicatum sit; haud æquũ est, vt hæc operis grandioris Appendix alterius patroni nomen præferat.

Quod C. V. non modo volente, sed & bene volente fieri persuasum habeo. Ingolstadij VI. Calend. Aprilis Anno Redemptoris, M. DC. XX.

DISSER-


S. WALPURGA
VIRGO.
O quam pulchra est casta
generatio cum claritate!



DISSERTATIO DE OLEO S. WALPVRGIS VIRGINIS APVD EYSTETTENSES SEPVLTÆ.

CAPVT I.

Fluxum liquoris Walpurgini videri naturalem.



CONDITA sunt lipsana Beatæ Walpurgis Virginis Eystadij in summi altaris lapide duro, solido, excauato, & supernè concluso, eo ipso loco, quo à sacrificante sacerdote Corpus & Sanguis Domini immolatur, ita vt probabile sit, hanc tumbam fungi vice sepulchri, quale in omnibus aris consecratis ex ipso consecrationis ritu & præscripto visitur. Infra prædictum lapidem est cauitas seu foramen quadratum, in quo destillat stillicidium de lapide superiore, qui sacra Virginis ossa tenet. Videas guttas modò maiores, modò minores pisi aut nucis auellanæ magnitudine de lapide supino dependentes, quas omnes excipit latè patens argentea concha. Miraculis & rebus supra na-

turæ vires fluxum hunc annumerari debere, communis est hominum persuasio, & pauló pòst luce clarius demonstrabitur.

Posset tamen fortassis Cardanus, aut Pomponatius aliquis existere, qui nihil hic supra naturæ facultatem agnoscat, aut veneretur, idque propter hæc argumenta.

I. Quia liquor iste in foramine illo produci videtur, eo modo, quo in spelæis & cauernis producitur aqua, vaporibus nimirum sursum attractis, & ad lapidem frigidum iterum frigefactis, & in aquam conuersis; aut eo modo, quo aër in vaporarijs & calentibus hypocaustis ad vitreas fenestras allisus, in aquam mutatur; & in æstate cantharos scyphosque frigido potu plenos, foris, hoc est, in superficie extima, guttis etiam defluentibus, vbertim manare videmus. Cur? nisi quia calidus aër hostili frigore constrictus, & ad metallum adhærescens, in aquam abit?

II. Forsan lapis, qui Sanctæ Walpurgis conditorium est, ea constat materia, vt certis temporibus sudet? Esse enim huius generis lapides, in Hodœporicis Hierosolymitanis proditum legimus. Et Vitruuius prohibet ædificio materiam è mari adhiberi, eò quod semper madeat.

III. Qnomodo liquor ex sacro Virginis corpore emanans, lapidem minime porosum, aut spongiosum, sed durum & solidum penetraret? Num aduersus naturæ leges duo corpora in eodem loco collocabimus?

IV. Sudatio illa seu generatio liquoris non tantum fit in lapide, cui impositum est corpus; sed & in laminis argenteis, quibus teguntur parietes, qui lapidem sustinent; item in ianua argentea interiore, & in ianua ferrea extrema. Quapropter credere non nemo posset, sudationem

tionem & liquefactionem istam, habere naturalem originem ex antri vaporositate & vaporum exhalatione, quos madens humus fortè exhalat & suggerit: qui deinde condensati per appulsionem ad corpora frigida, vt sunt lapis & laminæ, simul cum portulis; in aquam resoluantur.

V. Nihil de hoc liquore ex ossibus S. Walpurgæ fluente traditum est, cum S. Walpurga adhuc Heidenheimij conderetur. Magna etiam pars Reliquiarum eiusdem Virginis Monheimium venit, vt ex Wolfhardo Hasenrietano liquet, & tamen nulla olei ex Reliquijs illis manantis vspiam mentio est; cum alioqui plurima & testatissima quotidie propemodũ miracula ederentur, quæ idem Wolfhardus quatuor libris exequitur.

VI. Compertum non est, quando Eystadij, postquã Virginis lipsana eo translata sunt, liquor iste manare cœperit; & ex ijsdem Reliquijs Furnos in Flandriam pars non modica venit, nec tamen Belgici scriptores quidquam de oleo inde profluente memorant.

Hæc præcipua sunt argumenta, quibus audaculus quispiam, & parum consideratus fluxum Walpurgini liquoris in ordinem rerum naturalium cogere posset; vel saltem tentare, vt cogeret. sed irrito conatu, vt iam videbimus.



CAPVT II.

Liquorem S. Walpurgis non esse naturalem, probatur inde, quia medetur varijs morbis.

Tom. 4. Antiq. lect. D. Canisij.

DE Virgineis VValpurgæ membris, maximè tamen de pectoralibus, inquit Philippus Eystettensis Episcopus in vita S. Walpurgæ, *sacrum emanat oleum, quod gratia DEI, & intercessione B. VValpurgæ Virginis cæcos illuminat, surdos audire facit, & gressum claudis reddit, cunctisque debilibus optatum effectum deuotè petentibus misericorditer indulget.*

*Quam etiam gratiam curationis ipsi experti sumus. Nam graui infirmitate ægrotantes ad excidium vitæ peruenimus, & rememorantes gratiam, quam B. VValpurgis suis dilectoribus indesinenter ostendit, præcepimus de oleo sacrosanctæ suæ emanationis nobis copiosius afferri, & desiderabili haustu phialam plenam ebibimus, orantes in hæc verba: O Beata VValpurgis Virgo, ob reuerentiam B. VVillibaldi, fratris tui dilectissimi, cuius successor indignus sum ego Philippus peccator, interpella pro me ad Dominum pro conditione peccatorum meorum, & vt respirem à grauamine huius ægritudinis, ad laudem DEI omnipotentis, & intemeratæ Matris eius Virginis MARIÆ. Vt quid plura? Eadem die * creticauimus, & breui pòst in tempore sanitati omnimodè restituti sumus.*

* criticum diem habuimus.

Edidit D. Steuart.

Jn alia vita eiusdem Diuæ, quæ est quasi compendium Philippicæ historiæ: *De quibus* (Reliquijs) *mirabiliter DEO cooperante, vsque in hodiernum diem manat sacrum oleum, seu stillicidium, in signum castitatis: & maximè tempore, quo in eodem altari sacrum Eucharistiæ conficitur Sacramentum. Quod quidem stillicidium ægris & prægnantibus dignè sumentibus per maxi-*

*me præstat sanitatis augmentum. Cuius rei gratiâ singulis annis in die Sancti Marci, necnon * in die canonizationis Sanctæ VValpurgis, Episcopo Eystettensi, & Canonicis, haud non Sacerdotibus & Clericis processionaliter in eadem parochiali Ecclesia Sanctæ VValpurgis conuenientibus ad diuinum officium deuotè peragendum, sumendum porrigitur in remedium tam corporis quam animæ.* * primo Maij.

An liquor iste, si nil nisi mera & naturalis aqua foret, cæcis lumen, surdis auditum, claudis gressum, alijsque ægrotis optatam sanitatem impertiret? An Clerus & alij statis diebus singulari pietatis affectu liquorem hunc bibissent, si nil aliud fuisset, quàm aqua ex vaporibus generata?

CAPVT III.

Idem tribus alijs rationibus ostenditur.

OLEVM hoc maxime fluit, quando à Sacerdote Eucharistia in altari conficitur, & populo adoranda proponitur. *Hoc quoque sciendum*, inquit Philippus, *quod hora celebrationis Missarum cum Sacramentum Corporis & Sanguinis IESV Christi in altari conficitur, in quo recondita est; frequentius necnon vberius oleum de sacro corpore eius distillat. Vnde hæc hora pro receptione eiusdem olei diligentissimè obseruatur.* An hoc naturali fluxui aquæ congruit?

Deinde oleum hoc euanescit, nisi reuerenter habeatur; nec defluit; nisi vasculo mundo & decenti excipiatur. *Ipsum quoq; oleum*, inquit Epitome Philippicæ historiæ, *seu stillicidium prædictum, si ab aliquo portatum, vel tentum in vase fuerit irreuerenter tractatum, aut quid inhonestum circa illud perpetratum, euanescit: Quod pluribus per experientiam claruit; & nostris temporibus edoctum est. Quare summa cum reuerentia seruandum, & in loco sacrato conseruandum locatur.*

Siphiala, in quibus sacrum oleum recipiendum est, inquit Philippus, *non directè vel perpendiculariter destillationi supponantur, gutta eiusdem olei sic cohærent dependentes, ad modum botri vel faui mellis, nequaquam in alium locum decidentes, sed postquam negligentia corrigitur, & vasa, in quibus mundè sacrum oleum recipi debet, destillationi aptantur, eisdem sine omni cooperatione illabitur. per quod apertè monstratur, vt in vasa munda recipi debeat, quia ab immundis locis vel vasis omnino se præseruat.*

Et sæpe compertum est, quod receptum in vase mundo, si immundè vel irreuerenter teneatur, vel ad locum, vbi peccati illecebræ perpetrari consueuerunt deportetur, omnino euanescit, vel orificium vasis ipsum oleum nequaquam ad effectum sanationis egreditur. An hæc naturæ facultatem non excedunt?

Cum ciuitas Eystettensis interdicto Ecclesiastico mulctata fuisset, sacer iste fons exaruit. Certa relatione fide dignorum intelleximus (verba Philippi recito) *quod ciuitas Eystettensis vna cum tota diœcesi, Ecclesiastico interdicto quodam tempore supposita fuerat, propter quasdam damnosas iniurias, quas Episcopus, qui tunc praerat, à baronibus terræ & incolis sustinuit. Ex tunc liquor sacræ emanationis stillare cessauit, vsque in diem, qua Ecclesia restituta esset indemnitati. Et idem venerabilis Episcopus cum vniuersitate ciuitatis indicto ieiunio nudipes, & absque lineis ad monasterium B. VValpurgis ascendit, deuotè ac subnixè cum vniuersitate populi sui supplicans, ne effectum tantæ benignitatis, sicut est emanatio sacri liquoris, in amplius ciuitas priuaretur. Et accedens ad altare dictus Pontifex, Missarum solemnia, astante populo deuotè peregit, & in confectione Sacramenti, & eiusdem perceptione sacratissimus liquor, qui intra spatium vnius anni nequaquam destillauerat, nec vllo modo se ostenderat, adeo abunde erupit, vt ampulla dimidiæ pince capacitatis, vel vnius serici adimpleretur. Quod Pontifex videns cum plebe DEO deuota, plusquam narrari potest gaudio repletus,*

pletus, immensas gratiarum actiones DEO ac B. Walpurgæ pro concessione tanti beneficij persoluit. Hæc Philippus.

Audi nunc Henricum Rebdorffensem in Annalibus. *Anno M.CCC. LVIII. Dominica in medio Quadragesimæ, quæ fuit 11. Kal. Aprilis, fures de nocte intrauerunt Monasterium S. Walpurgis Eystettensis, & cum Campanarius eiusdē tardè intraret ad deponendum se in loco, irruunt fures in ipsum, velatâ facie, volentes eum occidere; qui se defendit. Fuit in Monasterio grauiter vulneratus: propter quod stillicidium, de Reliquijs B. Walpurgis consuetum manare cessauit per quatuor septimanas, vel circà, & post octauas Paschæ, appropinquante festo eiusdem Virginis, manauit vt ante.* An fons Almonis, seu Altimylæ exaruit, quando ciuitas Eystettensis Ecclesiastico interdicto subiacuit? An origines & scatebræ aliorum fontium Eystettensium quicquam damni propter interdictum acceperunt? Cur solus iste Walpurginus fons aut interdictum, aut scelératorum hominum nefariam inuasionem luere debuit; si ijsdem, quibus alij legibus tenetur? Perspicuum ergo relinquitur, hic digitum DEI esse, & grandius quid, quàm vt virtute naturali præstari queat.

Cæterum quę de S. Walpurga in summo altari sepulta, deque oleo copiosiùs manante, quando Eucharistia conficitur, scripsimus, reuocant mihi in memoriam, quæ de alia Gualpurge Oddo Abbas Cluniacensis litteris prodidit lib. 2. Collationum cap. 28. *Est Ecclesia Beatæ Gualburgis in hac vicina nobis regione, in qua miracula fiunt. Contigit autem, sicut Dominus Berno Abbas refert, vt eiusdem sanctæ Gualburgis Reliquiæ super altare per aliquot dies manerent. Sed mox miracula cessauerunt. Tandem verò ipsa Virgo cuidam ex infirmis apparens, idcirco, inquit, non sanamini, quia Reliquiæ meæ sunt super altare Domini, vbi maiestas diuini mysterij debet solummodo celebrari.* Quod

ri. Quod cùm ille custodibus referret, tulerunt capsam, & protinus miracula fieri cœperunt. Si ergo, subiungit Oddo, *ob illius mysterij reuerentiam nec ipsa sua pignora Sancti volunt propius vicinari, quid censendum est de immunditijs?*

Hæc siue de nostra, siue de alia Walpurga, quod mihi fit verisimilius, intelligantur, non obstant nobis, quia DEVS est mirabilis in Sanctis suis, & quod vno in loco propter certas causas, tametsi semper sibi notas, nobis autem sæpius incognitas, fieri prohibet, id alibi iustissime fieri permittit. Miracula igitur ad Gualburgæ Virginis Lipsana edi consueta, ideo fortè postquã in altari posita sunt, desierunt, quia periculum erat, ne homines ex simplicitate & ruditate pluris Reliquias æstimarent, quàm sacrosanctum illud mysterium, cui tractando altare dicatum est. Jam adeo vsitatum est Lipsana esse in altaribus, vt nullum altare sine Diuorum Reliquijs consecretur; vt taceam illas, quæ pretiosis & speciosis thecis inclusæ palam in altaribus spectandæ & colendæ proponuntur.

Porro vitam D. Walpurgis iam aliquoties à nobis citatam & laudatam, & sæpius adhuc citandam scripsit Philippus XXXIX. Episcopus Eystettensis, rogatu Agnetis, quæ fuit filia Alberti Cæsaris, vxor Andreæ cognomento Veneti, Regis Hungariæ, ex hac vita Anno 1301. euocati: post cuius mortem Agnes soli DEO viuere statuit, exstructo cum matre Elisabetha, vxore Alberti, Monasterio in Ergouia, quod Küniggsfeldt, hoc est, *campus regius* appellatur: eo ipso in loco, vbi Albertus Cæsar truculentissimè à nefarijs sicarijs interfectus fuerat.

De quo cœnobio hæc Felix Fabri, origine quidem Thuricensis, seu vt hodie loquuntur, Tigurinus, sed diu-

turna


turna habitatione, Vlmensis. *Relicta vxor occisi Regis Domina Elisabeth filia Comitis de Tiroli, in loco interfectionis viri sui, incœpit construere Monasterium Monialium, & altare summum in eo loco posuit, in quo exspirauit. Interea Rex Vngariæ etiam obijt, cuius vxor Domina Agnes prædicti Regis Alberti filia in patriam propriam reuersa, in constructione Monasterij prædicti coadiutrix fuit; sicque in viduitate sancta ambæ manserunt, & Moniales S. Claræ in constructum Monasterium posuerunt, & pro seipsis habitacula annexa ædificauerunt; sed & pro duodecim fratribus Minoribus locum ædificauerunt iuxta Monasterium, & tam pro sororibus, quam pro fratribus prouisionem copiosam in temporalibus fecerunt. Fundatio Monasterij illius facta fuit Anno 1308. in loco interfectionis Regis, in campo qui dicitur Campus Regis, vulgariter* Künigsfeldt *sub castro Habspurg, vbi hodie seruiunt DEO.*

Narrat deinde, quomodo eadem Regina Agnes ædificauerit amplum Monasterium Virginum Regulam D. Dominici profitentium, sub castro Kyburg prope oppidum Wintertur, & in ipso castro Capellam propter Imperiales Reliquias, quæ aliquando Kyburgi asseruabantur. Hæc annotare volui, vt scires, qualis & quantæ dignitatis & sanctitatis fuerit Agnes, quæ vitam B. Walpurgis cognoscere auida, à Philippo precibus obtinuit, vt eam ex antiquis monumentis colligeret ac reconcinnaret.



CAPVT IV.

Liquorem Walpurginum non esse à naturali causa, ostenditur ex eius ad multos annos duratione, limpidißima claritate, & aliunde.



Otandum, inquit Philippus, *quod etiam idem sacrum oleum tanta mundicia ac meracitatis existit, ut sine omni corruptione, & fœda maculationis feculentia per ducentos annos seruatum consimilis puritatis inuenitur cum illo, quod hodierno die de stillicidio eiusdem sacræ emanationis susceptum est.* Eadem idem Philippus in Commentario de S. Willibaldo: Num hæc competunt aquæ naturali, & ex euaporationibus natæ?

Vidimus in libris de Benedictionibus, etiam aquam solemni Ecclesiæ ritu consecratam, & aquam Iordanis fluuij annare, perennare, hoc est, plurimos annos absque contagionis macula ferre; sed perennitas hæc non est illis à natura; sed à benedictione, & à sanctificatione, quâ Iordanis Aquæ, Christi in eas descensu & baptismo, consecratæ sunt. Si quid vel aquæ, vel olei alibi eâdem gratiâ donatum est, id semper ad cœlestes causas reduci debebit; non ad istas terrestres, certis agendi legibus adstrictas. Nec exiguum momenti in eo est, quòd hoc oleum non semper stillat, sed hyberno duntaxat tempore, à 12. Octobris, hoc est à festo Translationis S. Walpurgis, vsque ad 25. Februarij, quo die B. Virgo ad immortalem vitam migrauit. Quamuis boni ominis loco habeatur, si stillatio vltra hunc terminum proferatur, prout hoc anno Domini

mini M. DC. XX. prolatam esse ex Reuerendissimo Domino *Georgio*, Suffraganeo Eystettensi intelleximus, de quo paulo post iterum.

Quæ ratio naturalis hic apparet, quod liquor iste ab vno festo Virginis ad alterum manat? Dicat quis: etiam hanc esse quorundam lapidum indolem, vt non nisi certis anni temporibus sudent ac rorent.

Respondeo, vt hoc ita sit; tamen huc non quadrat; quia lapis ille non est exoticus, & peregrinus; sed domesticus, quales nimirum in montibus Eystadianis nasci solent. vbi nullus hactenus vel erutus vel visus, qui à festo Virginis ad alterum eiusdem festum oleo incolas ditet ac beet; licet fluxus ille hos limites inuiolabiliter non obseruet; nam vt ex Henrici Rebdorffensis Annalibus liquet, Anno 1358. etiam XI. Kalend. Aprilis, hoc est, 20 Martij, & postea itidem, fluor iste ex sacris Lipsanis stillabat. Subtrahe lipsana Virginea lapidi, vbi oleum erit?

Placet hic vsurpare elegans epigramma, quod Nouariæ tumulo S. Laurentij, & puerorum Martyrum, ex quorum ossibus oleum fluit, adscriptum est.

Aspicis hoc marmor tumuli de more cauatum
Id solidum est intus, rima nec vlla patet.
Vnde queat tellus occultas mittere lymphas,
Manat ab ingestis ossibus iste liquor.
Si dubitas, medio sudantes tolle sepulchro
Relliquias, dices: Vnda salubris vbi est?

Hic planè idem canere licet. Tolle de sepulchro Virgineas S. Walpurgis Reliquias; & mox quæres:

Vnda salubris vbi est? Si Nouariæ per solidum marmor oleum fluit & penetrat, cur hic ad sepulchrum Walpurginum hæsitas?

Quàm verò mirabile illud? Adstet quis, quandiu velit, oculos intendat, & diligentissimè attendat; nunquam tamen guttulę alicuius casum aduertet, quantumuis pręgnans & matura casui sit. An hoc fit ijs in locis, vbi natura aquam siue ex aëre immediatè, siue mediatè ex vaporibus progenerat? An nullus vnquam vidit in antro stillas ex superiore parte, aut in vaporarijs ex fenestris, aut æstate ex poculis frigidâ plenis decidentes? Nemo non vidisse potuit; qui oculos habuit, & videre voluit. Nihil ergo hic naturale; sed omnia supra naturæ leges peraguntur.

Nec digni sunt, quibus aures præbeantur, si qui quæritent; quomodo ex aridis & exsuccis ossibus liquor tot annorum spatio manare queat? Isti eadem oris libertate sciscitentur; quomodo ex mandibula asini Samsoni sitienti salutaris potus, aut ex rupe virga Moysis percussa vberrimi fontes populo Israëlitico profluere potuerint. Miracula non essent id, quod nominantur, si naturæ finibus & legibus includerentur, & circumscriberentur.

CAPVT V.

Exempla aliorum Sanctorum, ex quorum Reliquijs oleum seu liquor oleosus aut vnguentosus fluit.



NOMINA tantum edam. Vberiorem catalogum inueniet lector in Notationibus D. Steuartij ad vitam S. Walpurgis. Sunt ergo sequentes Diui, eodem, quo D. Walpurga dono à DEO exornati.

I. S, An-

I. S. Andreas Apostolus. II. S. Nicolaus Myrensis Episcopus. III. S. Theodorus Trichinas. IV. S. Demetrius Martyr Thessalonicensis. V. S. Euthymius Abbas. VI. S. Becharius Abbas. VII. S. Sampson. VIII. S. Eligius. IX. S. Ioannes Eleemosynarius. X. S. Quirinus Tegernseensis. XI. S. Laurentius, & pueri Martyres, quos educandos susceperat. XII. Quatuor milites Martyres ad Melitenem Armeniæ, de quibus Procopius lib. 1. de ædificijs Iustiniani. XIII. Iuuenis quidam Ægyptius, de quo Menæum Græcanicum 2. die Decembris. XIV. S. Matthæus Apostolus & Euangelista, teste Marsilio Columna Archiepiscopo Salernitano in libro de vita & rebus gestis S. Matthæi. XV. S. Felix Nolanus. XVI. Gundackarus Episcopus Eystettensis, teste Philippo in S. Walpurgæ vita. Plures non adfero, non quia plures non sint, sed quia plures mihi non sunt comperti. Non dubito lectionem Græcorum & Latinorum monumentorum lectori plures suppeditaturam.

Ex femineo sexu occurrit I. S. Catharina. II. S. Hermione filia Philippi Diaconi. III. S. Elisabetha Landgrauia Hassiæ. IV. S. Hedvvigis Poloniæ Ducissa. V. S. Euphemia Martyr. VI. S. Agnes Politiana in Tuscia, ex cuius exanimis corpore integra ampulla plena oleo fluxit, quod oleum adhuc Reliquiarum loco cum ipsa ampulla asseruatur.

De S. Euphemia hæc litteris tradidit Theophylactus Simocatus lib. 8. historiæ Mauricianæ cap. 14. *Chalcedon vrbs est ad ostium Ponti sita, ex aduerso Byzantij. In ea templum est S. Euphemiæ martyris, vbi eiusdem sacratissimum corpus in arca asseruari, inde à maioribus ad nos fama peruenit. In annos porro singulos, die quo martyrium obijt, res maxime admiranda editur, &*

vt breuiter dicam, ijs qui non viderunt, minime credibilis, propter diuini illius operis excellentiã. Nam cum eius corpus iam annis quadringẽtis in monumento iaceat, die tamen, de quo dicebamus, in conspectu omnium, loci Episcopus, spongijs à corpore mortuo plurimum sanguinis colligit. Videas non secus quàm è recens occiso corpore, vulnerum tabo commistam erumpere vim sanguinum, vnguenta, nulla arte comparata redolentium; & per vascula vitrea ab eodem aduenientibus distribui.

Mauricium igitur duodecimum iam annum imperantem subit imbellis & ignaua quædam circa res diuinas cogitatio, extenuatque & reijcit tam insigne miraculum, & mysterium hoc fallacium hominum commentum esse asserit. Ornamentis igitur argenteis sepulchrum nudat, & obsignat, id quod incredulitatis audacia postulabat. Vbi statius dies affuit, arcanũ exploratur: in mysterium inquiritur; miraculum probatur; sicq; martyr suæ virtutis hoc admirando opere testis omni exceptione maior, iterumque sanguine vnguentifero meatus corporis per monumentũ, instar fontium fluit, & scaturit emissionibus mysterium, odoreque cruoris suauiter spirantis spongiæ imbuuntur. Eum fluxum tum martyr adauxit. DEVS enim, quamuis illi non credatur, non tamen hominibus cognitionem suæ virtutis & bonitatis inuidet. Atq; ita martyr incredulitatem Imperatoris sapere docuit: qui sanguinis emanationibus lacrymarum effusiones remisit: & fluentibus vnguentis imbres oculorum suorum rependit; mirabilis, inquiens, DEVS in sanctis suis.

Plura Euagrius l. 2. Hist. Eccles. cap. 3. scribit, & post eum Nicephorus l. 15. c. 3. cuius verba adscribam. *Quæ olim Martyr* (Euphemia) *ediderit miracula Christianis omnibus constat. Loci namquo eius persæpe Episcopum, in somnis se se ei exhibens, aut alium etiam quenpiam præclare vitam agentem, obiter templum eius ingressum, vt miraculorum talium fructum perciperent, est cohortata. Quod vbi in vrbe Constantinopolitana innotuit,*

vniuer-

vniuersæ eò populi turbæ sunt profectæ: ipse etiam Imperator, & qui sacras ecclesiarum habenas regunt, quique honores & magistratus alios in republica gerunt, vt quæ ibi peragerentur, viderent. Atque etiam inspectantibus omnibus, Episcopus Constantinopolitanus cum sacerdotibus suis templum id, vbi martyris eius corpus repositum est, visit.

In tumuli læuo latere fenestella quædam admiranda est, operculo quàm maximè obfirmata, per quod ferramentum longiusculum, cui in extrema parte spongia alligata esset, immittebant, spongiamque ipsam in sacrosanctis martyris reliquijs obuolutam, sanguineq; & guttis cruore illius delibutis refertam extrahebant. Hanc vbi plebs conspexit, homines statim in terram inclinati, vociferatione maxima DEVM honorabant, miraculoq; eo stupefacti manus sustollebant. Tantus autem inde profluxit vbertim humor, vt non solum Imperatores & Episcopi, populusque qui ibi congregari solitus fuit, affatim eo perfruerentur, verumetiam quocunq; quiuis vellet locorum de eo aliquid secum auferret. Neque guttæ tempore ipso defecere, neq; diuinus ille sanguis aliqua ex parte mutatus est, sed semper colorem suum summè rubrum conseruauit.

Facta hæc non certo aliquo temporis curriculo, sed pro eo atque Episcopi ipsius vitæ morumq; sanctitas ferret. Sic enim fertur, cum is qui Ecclesiam gubernaret, præclarè viueret, & virtute exornatus esset, frequentius hoc miraculum exhibitum esse. Cum autem antistes sacrorum talis non esset, rarius eam rem tam admirandam, nec tam facile à martyre processisse. Hoc sic factum esse noui.

Cæterùm quod neque dies, neque tempus vllum intercipit, sed perpetuo omnibus fidelibus simul & infidelibus affluit & accedit, id nunc dicam. Si quis in sacrarium id, vbi tumulus, & sanctæ martyris reliquiæ perinde atque thesaurus nunc repositæ sunt, veniat, odor immensus, & naturæ captum, odoresq; omnes, quos ars humana conficit, supergrediens, ad eum perfertur. Eum siquidem, qui ex

prato versicolore colligitur, longè superat: neq; alicui eorum similis est, qui ex beneolentissimis rebus profluit. Tum autem neq; ei par est, quem unguentarius odoribus suauibus ad certum modum temperatis miscet; verum multis modis, qui inde redditur præstantior est, vim & potestatem eius à qua redundat, declarans.

Quæ de fragrantia gratissimi odoris Nicephorus post Euagrium commemorat, non sunt dissimilia illis, quæ in Epitome vitæ Walpurginæ leguntur cap. 10. cum sancta Virgo Heidenheimio Eystadium deportaretur. *Cum autem venerabile corpus supradictæ Virginis de loco sepulturæ suæ supra terram est collocatum, omnia membra eius quasi rore perfusa cunctis apparuerunt: fragrantia nihilominus inæstimabilis ac mirifici odoris omnes qui aderant, senserunt, ac infirmi, qui pro eo tempore præsentes fuerant, quocunque dolore tenebantur, salubritate suauitatis tam recreatiui odoris curati sunt.*

Agmen claudat S. Glyceria Martyr Heracleæ, de qua Simocatus sequentia lib. 1. c. 11. *Eodem anno Paulinus quidam, ciuis haud obscurus, & doctrina liberali instructissimus, qui animam suam in barathrum præstigiarum, incantationumq; demerserat, deprehenditur. Modus quo sceleris huius compertus est, plurimum admirationis habet, quem exponemus. Erat venefico huic peluicula ex argento, ea hostiarum, quas dæmonibus sacrificabat, sanguinem excipere solebat, quoties eorum colloquio vti liberet. Hanc pretio vendit argentarijs; emptam illi præ foribus domunculæ suæ venalem proponunt. Eo ipso tempore Antistiti Heraclea (quæ olim dicta est Perinthus) Byzantij commorari necesse erat. Is venditionis causa suspensam malefici peluim conspicatus, eam percupide mercatur, & ad sedem suam reuertitur. Quia verò diuinitus stillans vnguentum, siue oleum de ossibus S. Glyceriæ martyris ænea pelluis etiamnum excipiebat, Episcopus rei tam venerandæ reuerentia contactus vascula commutat, & à cultu sacratissimo æneum remouens,*

uens, argenteum cœlesti stillicidio supponit. Ex eo operum mirandorum riuus desinit; fons gratiæ euanescit; non prodit publicitus vim suam martyr; beneficium retrahit; donum aufert; sibiq; legem indicit, propter detestandum excipulum vnguento in posterum non scaturire. Sane quod purum est, non debet impurum contingere: vt aliquid externæ eruditionis narrationi commodè interseram.

Hoc cum diebus compluribus euenisset, calamitatemque rumor per ciuitatem dissipasset, Episcopus sese in luctum dat, & quod fiebat lamentatur: effectorum supra naturam interruptionem deplorat; donum reposcit; detrimentum non sustinet; caussam indagat; dedecus indignatur; Ecclesiaq; re tam admirabili viduata, vitam sibi vitalem non putat. Igitur ieiunia & comprecationes instituuntur; profunduntur lacrymæ; ducuntur gemitus; totæ noctes in DEO suppliciter rogitando ponuntur; coniunguntur q; omnia, quæ iram eius conuertere in misericordiam possunt. Cum itaque DEVS & execrandum illud scelus iure auersaretur, & ignorantiam iustè misararetur, Episcopum de abominandis sacris in pelui illa factitatis per quietem monet. Ille nil moratus, peluim argenteam templo subducit, illatamq; in medium æneam, perinde vt castam, & antiquam famulam, & virginem aliquam incorruptam pro execranda præstigiatrice venerabili monumento rursum subijcit. Statim sese miracula denuo effundunt, oleum depluit, beneficium scaturit, donum profluit, lacrymæ inhibentur, luctus præciditur, tristitia fugatur, piaculumq; detestabile, perinde vt in columna incisum cognoscitur ab omnibus, & peluis ænea postliminio gloriam suam recuperat. Paratus est enim DEVS tribuere misericordiam piè supplicantibus.

Episcopus in vrbem imperialem reuersus, venditoreq; peluis illius ab argentarijs exquisito, & inuento, ad Ioannem Patriarcham adit; rem totam à capite arcessens ei commemorat. Patriarcha exclamare indignum facinus, auresq; auertere; è vestigio in palatium abire, & sibi cognita Imperatori nunciare, qui maleficum corre-

ptum debitis pœnis affecit. Eadem ferme ex Simocato Nicephorus lib. 18. cap. 32.

Hæc de ἐλαιοφόροις, & vnguentiferis Diuis adferre voluimus, vt cogitatio seu suspicio de naturali caussa olei Walpurgini ab omnium pectoribus, quam maximè procul pellatur. Si enim nullus sanæ mentis tam audax & tam sciolus est; qui fluxum olei seu vnguenti seu liquoris in omnibus iam commemoratis Cælitibus ad causas naturales reuocet, cur in solo S. Walpurgis oleo intempestiuè ingeniosus esse cupit? Si tamen hoc ingenij est, non potius stuporis, aut supinæ stoliditatis?

Obserua autem quam pulchre oleum S. Glyceriæ cum Walpurgino nostro conueniat. Illud nefariam & magicarum superstitionum consciam concham fugit, eaque supposita cursum suum stitit; nostrum quoque non depluit & defluit, nisi subiecto decenti vasculo, &, vt sic loquar, *excipulo.* vt supra vidimus.

In Menologio Græcorum, quod Card. Sirletus olim ex Græco in Latinum sermonem transtulit; fit Martyris cuiusdam die 13. Iulij talis commemoratio. *Sancta Martyris Myropis, temporibus Decij Imperatoris, quæ primum habitauit in Insula Chio, postea verò ad Ephesiorum vrbem profecta, religiosè admodum hauriebat vnguenta ex sanctorum Martyrum corporibus profluentia, ex quo & nomen sortita est,* nimirum à myro seu vnguento.

De eadem S. Myrope die 3. Decembris idem Menologium. *Hæc, mortuo patre, baptizata incumbens ad monumentum S. Hermiones vnius ex filiabus S. Philippi, vnguentum ex sepulchro Martyris suscipiebat, idque omnibus abunde tribuebat; Ex quo & ipsa nomen est adepta, Myrope dicta.* Eadem in Menæo Grecanico, sed die secundo Decembris, addito hoc disticho.

Μύρον μυρόπη τῷ δεσπότῃ προσήχθης,
Τῷ εὐωδίας τῆς αὐτῆς σε μυρίσας.
Vnguentum, ô Myrope, Domino facta es
Suaueolentia sua te perungens.

Myropes ergo nomen hæc Sancta Martyr inuenit, quòd Martyrum & aliorum cælitum tumulis vnguentiferis & elæophoris assidere, oleumque piè colligere, collectumque pijs distribuere soleret.

CAPVT VI.

Satisfit argumentis initio propositis.



EMo iam plerisque satisfactum est; iam enim ruit primum & secundum de vaporibus, & euaporationibus, & de allisu aëris ad lapidem superum, tanquam ad valde frigidum. Vappa fuerit, qui mirum hoc vaporibus adscripserit, præcipue post tot allata in contrarium argumenta, & testimonia. Et quomodo ex vaporibus aut aëre liquor ille oleosus, seu oleum nasceretur? Vapor aut aër calens in frigida impactus non vertitur in oleum, sed in aquam; nec aqua est liquor noster, sed oleum, vel certè oleosæ substantiæ. Quomodo igitur vaporis aut aëris frigefacti proles est? Infundat, qui volet, oleum hoc aquæ, an non supernatare videbit? Gustet, an non olei saporem sentiet? Philippus certè XXXIX. Eystettensis Episcopus, qui haustu huius olei grauissimum morbum depulit; sic historiam de S. Walpurga Virgine concludit.

Nunc videamus, quid sibi vult per significationem emanatio sacri olei in B. VValpurga, vel alijs Sanctis, puta in B. Nicolao, vel B. Katharina, vel glorioso Gundakaro Pontifice nostro, vel quibuscunq.

cunq. Sanctis, quibus concessum est ex speciali prærogatiua meritorum, & ostensione magnitudinis præmiorum. Iuxta quod sciendum, quod oleum cuicunque liquori infusum supernatat, vnde misericordiam ex similitudine designat. Superexaltat enim misericordia iudicium. Et item: Misericordia eius super omnia opera eius. Oleum nihilominus magnæ est leuitatis, & multæ vtilitatis; nam illuminat, pascit, & sanat. Sic pietas secundum B. Apostolum ad multa proficiendo valet, habet enim promissionem vitæ, quæ nunc est, & vitæ futuræ. Hinc etiam est quod oleum cordialem pietatem sua proprietate exprimit, & ideo de Sanctorum corporibus sacri olei emanatio plenitudinem exuberantis misericordiæ, ac redundantiam viscerosæ pietatis, ac lenitatem mititatis præostendendo figurat.

Fuerunt namque hi Sancti, qui habent scaturiginem emanationis sacri olei, misericordissimi ac pijssimi in vita, & ideo misericordiam consecuti per signa misericordiæ & pietatis hominibus post mortem laudabiliter innotescunt. Sic B. VValpurgis Virgo, tanquam oliua in domo Domini fructuosa, & quasi oliua in campis Ecclesiæ speciosa per oleum effusum dilatauit nomen suum. Riuulo enim suæ sacræ emanationis notitia sanctitatis eius deriuata est in fines terræ. Oleo misericordiæ & pietatis illuminans cæcos, spiritualiter & corporaliter pascens esurientes in bonis per affectum sancti desiderij, ac corpore sauciatos sanans, contritis corde medetur. Amen.

Philippus ergo liquorem istum non aquæ, sed oleo accensuit.

Ad tertium argumentum de penetratione, Respondeo, forsan lapidem porosum esse, per cuius poros seu meatus oleum ex sacris ossibus decurrat. Et vt lapis huiusmodi meatibus careat; quid mirum, si miraculum miraculo iungamus; hoc est, si fluxui liquoris oleosi ex

aridis

aridis ossibus S. Walpurgis penetrationem duorum corporum adiungamus; quam DEO possibilem esse, docuit nos Christi Domini ex clauso Virginis vtero natiuitas; & resurrectio ex clauso sepulchro; & post resurrectionem clausis ianuis ad discipulos ingressus. Nec ratio refragatur; loquor autem de illa ratione, quæ rationis capax, & rationes percipere ac perpendere gnara sit. Nam sunt qui ratione præditos sese existiment, & tamen nulli penitus rationi cedant; quorum ratio potius *irratio* mihi videtur, quos non tam in animalium rationalium, quam in *irrationalium* numero deputandos censeo.

Ad quartum respondeo, non mirum, si guttulæ in lateralibus laminis argenteis aliquādo appareant; id enim fit ex repercussu stillicidij: notum enim est, cum liquor aliquis decidit, eum casu suo etiam vicina tangere, tingere, & adspergere. Idem iudicium esto de ianua argentea interiore; seu de interiore ianuæ superficie. De ferrea portula extrema, seu de interiore eius superficie, maior est difficultas; non enim apparet, quomodo per argenteam ianuam ad intimam ferreæ portulæ superficiem guttulæ deueniant; nam ex superiore lapide decidere non possunt, cum quidquid eius stillat; argenteâ conchâ circumscriptum sit; ita vt quidquid defluit, in argenteum receptaculum decidat. Verum quia in miraculi tractatione versamur, mirum non erit, si hic aliud miraculum agnoscamus, dicamusque DEI, & B. Walpurgis virtute guttulas nonnullas in prædictis locis conspici: nam si liquor iste ex vaporibus est, cur non extima etiam superficies argenteæ ianuæ ijsdem repletur? Cur ipsa superficies interior ferreæ portæ non magis madet? cui interdum pauculæ guttulæ adhærescunt; quæ paucitas non

esset, si à vapore essent; omnia, vt alibi in antris valde vaporosis, madefacta cernerentur.

Ad quintum argumentum Respondeo: mirum non fuisse, si dum B. Walpurgis Heidenheimij condita est, oleum ex ossibus eius non manauit: quia in terra tumulata fuerat. Et tamen vbi eius sacra lipsana effossa sunt, madefacta apparuerunt: ita enim Philippicæ historiæ Epitome. *Cum Heidenheimij venerabile corpus supradictæ Virginis de loco sepulturæ suæ supra terram est collocatum, omnia membra eius quasi rore perfusa cunctis apparuerunt. fragrantiam nihilominus inæstimabilis ac mirifici odoris, omnes qui aderant, senserunt.* Eadem Philippus in historia Walpurgina. Ergo iam Heidenheimij sacra hæc ossa sacro rore rorabant, qui nec animaduerti, nec excipi potuit, Reliquijs humo opertis.

Et hæc translatio Heidenheimio Eystadium facta est sub Ockero, sexto Episcopo Eystettensi. Vide Catalogum Episcoporum Eystettensium.

Eystadij iterum Virginea lipsana humo tecta sunt; sed ab Erchemboldo VIII. Eystettensi Episcopo refossa anno Domini 893. & in aram, vbi nunc cubant, illata. Lipsana tamen hic quoque oleo madefacta apparuerunt, de quo Wolfhardus Hasenrietanus *lib.* 1. de vita S. Walpurgis: *fodientes* inuenerunt cineres amplectendos *Beatæ Matris nostræ VValpurgis, quasi lympha tenui madefactos, vt quasi guttatim ab eis roris stilla extorqueri valerent. Quare licet tanta essent humiditate referti, nec pulvisculus tamen manibus attrectantium quoquo pacto valuit adhærere.*

Clarum ergo videtur, si Heidenheimij, & primis annis Eystadij Virgo sancta tale Mausoleum habuisset, quale nunc habet in summo altari templi Walpurgini; oleum

ex

ex sacris lipsanis, prout nunc fit, emanaturum fuisse. Et quamuis Wolfhardus innuere videatur, quasi hæc eleuatio sub Erchemboldo eo fine instituta sit, vt Liobæ Abbatissæ Monheimensi pars Reliquiarum tot votis expetita traderetur, eoque peracto, reliqua Reliquiarum portio suo loco sit reddita; compendium tamen vitæ Walpurginæ à Philippo scriptæ disertis verbis tradit, sub Erchemboldo, hoc est, anno Domini 893. regnante Arnulpho Rege, cum Lioba Abbatissa portionem Reliquiarum impetrasset; Reliquias S. Walpurgis summo altari ab Erchemboldo esse impositas, & conditas, eo modo & situ, quo hodie conditæ videntur.

Etsi memini me in Catalogo Episcoporum Eystettensium scribere, translationem Reliquiarum S. Walpurgis ad summum altare, factam esse sub Heriberto XV. Episcopo Eystettensi; sed necdū Epitomen vitæ Walpurginæ accuratè expenderam; nisi fortè Heribertus altare illud innouarit, & hoc titulo quasi secundus Translator censeri queat. Et sane diuinis beneficijs plusquam ingrati fuissent, si animaduersâ illâ olei seu liquoris oleosi scaturigine, rursus Reliquias humo obruissent.

Quid autem restet eo loco, quo antea Eystadij S. Virgo sepulta fuerat, ita exponit paulo ante nominata Epitome: *Vbi hodierno die quidam circulus ex lapidibus factus, cum imagine S. VValpurgis euidenter apparet, in quo quidem circulo corpus eius quieuit, donec Episcopus Eystettensis chorum cum summo altari congruo tempore funditus, ob honorem S. VValpurgis, prout hodie cernitur, instauraret.* Quod factum ab Erchemboldo, postquam publice compertum est, qualis liquor ex sacris ossibus emanaret. Statim ergo liquoris huius fons fidelibus apertus est, tametsi argenteam illam concham, & latera

tera argentea, & siquid aliud elegantius & opulentius est, posterioribus seculis accessisse, nullus dubitem.

Partem illam, S. Walpurgæ, quæ Monheimium venit oleum reddidisse, nuspiam legi. Edidit Wolfhardus Hasenrietanus libros quatuor ad Erchemboldum Episcopum de Miraculis S. Walpurgis Monheimij editis, quos libros in rhythmos coniecit Medibardus; nuspiam olei mentio est, nuspiam vnguenti; cum tamen plurima & testatissima, imo & frequentissima miracula memorent; nec ab æuo suo remota; sed quæ sub ipso Erchemboldo, cui Wolfhardus libros suos consecrat, contigerant; sub illo, inquam Erchemboldo, cuius concessu Lioba, Monheimensis Abbatissa, partem Reliquiarum pro Monheimensi suo Monasterio impetrauerat.

Cur autem hoc loco Reliquiæ istæ oleum non fuderint, prout Eystadij fiebat, DEVS nouit; cuius in Sanctis suis mirabilia opera plerumque inscrutabilia esse, ipsimet curiosi scrutatores tandem fateri coguntur. Satis fuit DEO mirifico fluxu olei Virginem Walpurgam Eystadij illustrasse: Monheimij alijs, ijsque continuis miraculis sanctitatem Virginis toti terrarum orbi patefecit. Et vt id dicam, quod merito miremur; quæ miracula Eystadij edita sint per oleum Walpurginum, sacrasque eiusdem Virginis Reliquias, vix scimus; nisi quod Philippus in commentario de S. Walpurga sub finem, & in altero syntagmate de S. Wilibaldo nonnulla litteris prodidit. At Walpurga Monheimensis miraculorum suorum copiosum præconem nacta est Wolfhardum Hasenrietanũ, & Rhythmicum Medibardum: quidquid enim miraculorum quatuor libris in litteras miserunt; id Monheimij patratum est; vbi florens olim Virginum Cœnobium, &

magnus

magnus ad ſacras Virginis Reliquias accurſus; quæ in arca argentea incluſæ publicis in proceſſionibus à quatuor primarijs ciuibus circumferebantur, vt teſtantur illius loci quidam Lutherano euangelio viri & fœminæ grandæuiores.

Monaſterium ita deleuit hæreſis, vt vix ſuperent veſtigia. Nomen tamen à Monaſterio etiamnum retinet der Kloſterbawr, hoc eſt, ille, qui fundos & agros Monaſterij colebat. Larga inſuper ſtipe recreabantur olim quotannis pauperes. Beneficentiam hanc hæreſis non penitus ſuſtulit, ſed ſine dubio accidit. Quo deuenerint Reliquiæ Walpurginæ, hæreſi omnia ſacra profanante ac demoliente, comperire non potui. Quæ tamen S. Walpurgæ memoriam ex hominum memoria adeo expungere non potuit, vt ipſi etiam Lutherani ſuis infantibus femellis, S. Walpurgæ; vt & maſculis ſancti *Solæ* nomen, medio in Lutheraniſmo imponerent. Hinc circa illa loca omnia redundant Bürgle/ & Solel/ hoc eſt *Walpurgis & Solis*; non enim procul Monheimio diſtat Solenhoffium, ſancti Solæ olim habitaculum, & in Suanefeldico tractu nihil erat olim notius & celebrius, quam Sancta Walpurga, & Sanctus Sola.

Nec ex illa parte Reliquiarum, quæ Eyſtadio Furnos in Flandriam miſſa eſt, oleum manaſſe Belgici ſcriptores tradunt. Cur non etiam hic ſacræ Reliquiæ ſacrum liquorem ſtillant? Ratio huius ceſſationis non ab homine, ſed à DEO petenda eſt; ipſe quippe nouit, cur hoc miraculum hoc loco faciat, & alibi non faciat; licet eiuſdem Cœlitis Reliquiæ vtrobique aſſeruentur, & colantur.

Porro vt hoc obiter annotemus, Molanus in Martyrologio Vſuardi, non contentus Kalendis Maij hæc anno-

tasse: *Furnis Translatio Reliquiarum VValpurgis, VVillibaldi, & VVunibaldi. Anno 1109.* ad diem quartum Augusti hæc insuper adijcit. Die 4. Augusti, *S. VValpurgis Virginis, cuius Reliquiæ sacræ Furnis habentur.* Alij vt notat D. Steuartius in Notationibus ad vitam S. Walpurgæ, quartum diem Augusti dicant memoriæ egressus ex Anglia, quando S. Walpurgis natali solo valedixit, & in exteras regiones se contulit.

Vtrum Heidenheimij aliquid de Reliquijs S. Walpurgæ relictũ sit, quando Lipsana eius Heidenheimio translata sunt, certo non constat. Obscurus quidam & mendosus Henrici Rebdorffensis in Annalibus locus (de quo vide lib. 2. obseruat. c. 2.) id insinuare videtur; nec hoc tantum, sed etiam ex illis Reliquijs oleum manasse. Quem locum ita nuper Editor Henrici D. Christophorus Gevvoldus V.C. Consiliarius Bauaricus edidit. *Anno 1358. in Octaua Pentecostes, S. VVunibaldi Confessoris in Haydenhaim facta est translatio in nouum chorum, cuius Reliquijs cum postea deferrentur in stillicidium, in magna abundantia manatum est, ad hoc ex vrna S. VValpurgis.* Quæ lectio satis clare indicat, fuisse etiam Heidenheimij sacri olei ex Reliquijs Walpurginis stillicidium; præsertim si pro *Reliquijs* substituas *Reliquia*, vt orationis constructio exigere videtur.

Nec silendum illud, quod Epitome vitæ Walpurginæ tradit, tertio die post translationem S. Walpurgis corpus S. Wunibaldi deportatum esse ad locum, vnde corpus sororis tulerant; *diebus interiacentibus ternis,* inquit Epitomator, *hoc est, IX. Kalend. Octob. corpus S. VVunibaldi ad locum, vnde sororis tulerunt, deportarunt*; nisi sensus sit, corpus S. Wunibaldi Eystadium cum corpore S. Walpurgis maioris celebritatis gratia ductum, tertio die ad locum, vnde sororis corpus

corpus tulerant, hoc est Heidenheimium, reportatum esse. Ex his etiam sextum argumentum, de quo cap. 1. perspicuè solutum relinquitur; vt qui contra oleum S. Walpurgis in posterum pertinaciter disputare velit, non modicam suspicionem moueat, quasi Sanctorum honori parum faueat.

CAPVT VII.

Varia genera miraculosi olei.

MONET me oleum S. VValpurgis, vt etiam oleum alterius generis adducam. Neque enim DEVS tantummodo per oleum ex Sanctorum corporibus manans, sed & per alias olei species crebra & grandia miracula patrauit.

Primus locus iure debetur oleo sanctæ & primæ Crucis, in qua Christus animam cælesti Patri reddens nos redemit: nam ex hac Sacrosancta Cruce oleum manasse, testis est Adamannus Scotus, nuperà nobis euulgatus, & Epitomator eius Venerabilis Beda in libello de situ terræ sanctæ. Quod vasculis inclusum Hierosolymitani incolæ, ex collo pensile pietatis & tutelæ causa ferre solebant. De quo vide, quæ scripsimus tom. 1. de S. Cruce l. 1. c. 91.

Secundus locus debetur oleo, quod ante primam Crucem, Reliquiasue eius in lampadibus ardere solebat, quod diuinitus aliquando auctum est. Item illi oleo quod benedictionis & sanctificationis gratia in templo vel Oratorio S. Crucis fideles reponebant; & suo tempore repetebant. Vide tom. 1. de S. Cruce l. 1. c. 87.

Tertio loco memoretur oleum S. Crucis, hoc est,

quod ex imaginibus S. Crucis emanare consueuerat, cuiusmodi præcipue fuit Crux Sozopolitana, cuius oleo viri sancti multa mira patrarunt. Consule lib. 1. cit. c. 91.

Quartum locum obtineat oleum, quod varijs locis ex imaginibus Deiparæ Virginis effluxit, cuiusmodi vnguentifera imago erat etiam olim Sozopoli, plurimorum liquore suo miraculorũ effectrix. Vide loc. cit. operis de S. Cruce.

Nec prætereunda est imago illa, de qua Arnoldus Lubecensis Abbas in Chronico Sclauorum. l. 7. c. 10. *A Damasco ad tria milliaria est locus quidam in montibus situs, quæ Saydaneida vocatur, & à Christianis inhabitatur, & est ibi ecclesia, in rure sita, & in honore gloriosæ Virginis dedicata, in qua moniales virgines duodecim, & Monachi octo assidue DEO seruiunt, & B. Virgini; in qua ecclesia vidi tabulam ligneam, ad mensuram vnius vlnæ longam, & latam ad modum dimidiæ vlnæ, retro altare in muro sanctuarij in fenestra positam, & ferro laqueariter cancellatim firmatam, in qua tabula effigies B. Virginis aliquando depicta fuit, sed nunc, quod dictu mirabile est, pictura super lignum est incarnata, & oleum odoriferum super odorem balsami incessanter exemanat. De quo oleo multi Christiani, Sarraceni & Iudæi de diuersis languoribus sæpe liberantur.*

Et nota, quod oleum illud nunquam imminuitur, quantumcunque inde accipiatur. Nec prædicta tabula à quoquam tangi audetur, videri autem omnibus hominibus conceditur. Oleum vero illud à Christiano religiosè conseruatur, augmentatur, & pro quacunque re cum deuotione & fide syncera sumtum fuerit, pro honore Sanctæ Virginis, commissisque solennitatibus indubitanter impetrabitur. Ad locum in Assumptione gloriosæ natiuitatis suæ omnes Saraceni illius prouinciæ, vnà cum Christianis, caussa orandi confluunt, & Saraceni ceremonialia illic sua offerunt cum maxima deuotione.

E 2 *Nota,*

Nota, hæc tabula primò Constantinopoli facta & depicta fuit. Tunc temporis quædam Abbatissa supra dicti loci caussa orationis Ierusalem descenderat, & impetrata tabula à Patriarcha Ierosolymitano, eam secum ad Ecclesiam sibi commissam transportauit. Fuit autem hoc Incarnationis anno DCCC.LXX. Sed postea per multa tempora cœpit oleum sacrum ex ea manare. Hæc Arnoldus, quæ etiam Baronius recitat, Tom. X. Anno Domini DCCC.LXX.

Nec refert, quod ex recentioribus nonnulli miraculum hoc in dubium reuocant; vt enim posterioribus seculis fons iste gratiæ exaruerit ob inualescentes magis atque magis Sarracenos, & decrescentem Christianismi cultum; olim tamen miraculum hoc vigebat, teste etiam Legato Friderici Imperatoris anno 1175. qui vidit, & ex cuius relatione Arnoldus sua litteris mandauit. Quanquam huic miraculo amplissimum, & vt ita loquar, oculatum testimonium reddit etiam Rudolphus Parochus VVestphalus in suo itinerario, qui terram sanctam anno Redemptoris 1336. obiuit.

Quinto loco sit oleum, quod ad sepulchra Martyrum, vel aliorum Cælitum accendebatur; vel in eorum Ecclesijs & Basilicis, benedictionis contrahendæ gratia ponebatur, vt postea ad varios casus vsui esset. Vide Tom. 1. de S. Cruce l. 1. c. 91.

Denique huc veniat oleum, vel solenni Ecclesiæ benedictione, vel priuatim quoque à Sanctis præsertim viris, signo Crucis, aut precibus consecratum. De cuius miraculis copiose scripsi l. 2. de Benedictionibus c. 22. & 23.

CAPVT VIII.

S. Walpurga Antuerpiensium patrona cum encomio ex Notkero, eiusque Reliquiæ Witebergæ in Saxonia.

MIRÆVS vir doctus & clarus, Canonicus & Bibliothecarius Ecclesiæ Cathedralis Antuerpiensis hæc de S. VValpurga litteris cōsignauit. *VVillibrordus anno DC. XCVII. ex Britannia in Galliam transiens Belgicam fermè vniuersam Apostolico more peragrauit. Huic adhuc viuenti Rohingus vir præpotens dedit Ecclesiam in Antuerpo castello sitam super Scaldi in pago Riensium, cum villis, appenditijs, & parte territorij eiusdem castelli, quod nunc est marca regni. Litteris hæc consignauit Theofridus, Epternacensis apud Lucemburgenses, monasterij à S. VVillibrordo exædificati abbas, qui Henrico IV. Imp. vitam eiusdem Diui stilo complexus est prolixiore. Eadem leguntur in tabulis Testamenti S. VVillibrordi, quæ typis exstant edita in Caroli Scribanij Antuerpia. Atq; hæc ipsa apud Antuerpianos Basilica hodieq; Castrensis nuncupatur, est S. VValpurgæ nunc sacra. Quæ quidem Virgo SS. VVillibaldi & VVunibaldi germana soror, in eadem Basilica DEO aliquandiu traditur seruisse; visiturq; ibidem etiamnum eius oratorium; in quo & vetus in pariete inscriptio eius rei testis, ante furores hosce Iconoclasticos exstitit. Vt non immerito Virginem hanc velut patronam domesticam Antuerpiensis Ecclesia solenni quotannis ritu veneretur.*

Notkerus in suo Martyrologio die quinto Iunij: *Eodem die in Frisia passio S. Bonifacij Episcopi, qui de Britannia veniens & fidem Christi euangelizans, cum maximam multitudinem in Frisia Christianæ religioni subiugasset, nouissimè à paganis, qui supere-*

supererant, gladio peremptus, martyrium consummauit, cum Eobano Episcopo, & alijs seruis DEI, quorum hæc sunt nomina: VVintrug, VValthere, Skirvvald, Bosan, Hamund, & Hethere, VVacchar, Gundachar, VVillebere, Hadonolf. De quorum collegio fertur etiam fuisse VVillibaldum Presbyterum, virtutibus, & doctrina clarissimum, & sororem eius VValdpurgam sanctitate conspicuam.

Nec silere hic decet, Reliquias S. Walpurgis in Saxoniam quoque, Wittebergam nimirum deuenisse, nam vt in libello de Reliquijs Wittebergæ quotannis die Lunæ post Dominicam *Misericordia*, maximo populi accursu, ostendi solitis, memoratur, inter cætera pretiosissima Reliquiaria, duo itidem erant, in quibus asseruabatur & monstrabatur oleum S. VValpurgis; & de vestimento eius duæ, deque sacris ossibus quinque particulæ cum tribus dentibus; Et in alijs Hierothecis de S. Sola & S. VVunibaldo sacra frustilla inerant. Quæ Duces Saxoniæ ab Episcopo quopiam Eystettensi obtinuisse, mihi admodum fit verisimile. Sed quo postea deuenerint, quando hæresis Vrbem illam, totamque Saxoniam occupauit, mihi non liquet; quamuis si indolem hæreseos penitius intueri velimus, satis liqueat; eius enim hoc proprium est, Reliquias flammis voracibus absumendas tradere; aurum verò, argentum, gemmas, margaritas, & id genus alia, quibus ornabantur, in proprios vsus conuertere ac conuertere.

Ex hac præda obtigit Luthero vitrum Crystallinum S. Elizabethæ Hassorum Landgrauiæ. Quod plenum de eadem Diua Lipsanis, ante omnes alias Reliquias Wittebergæ populo spectandum venerandumque proponebatur. Quis hoc crederet, nisi testem haberemus Matthæsium, Lutheri commensalem? qui concione XVI. de Actis

Luthe-

Lutheri hoc palam affirmat, imò & addit; cum Lutherus in conuiuio, quo nonnullos ex valle Ioachimica aduenas exceperat, nonnihil incaluiſſet, eum prompſiſſe hoc poculum; & inde hauſtum cyclicum ſeu orbicularem inſtituiſſe, ſingulis, Luthero ipſo pocillatore & auſpice, poculum hoc deuotè, vt par erat, elambentibus. Quis autem non miretur ex tota illa tot hierothecarum ſeu Monſtrantiarum & pretioſiſſimorum Reliquiariorum, vt ſic loquar, hæreditate, poculum ad Lutherum perueniſſe? An hoc factum ſine omine? Haud crediderim, & ne credam, obſtat Sobrius Lutherus M. Conradi, & Poculum Catecheticum, de quo in Colloquijs ſympoſiacis; & plura alia. Sed hæc per digreſſiunculam obiter.

CAPVT IX.

De Reliquijs S. Willibaldi in pago Ioshoffen, vnà cum particula S. Crucis, deque Lipſanis S. Willibaldi cum oleo S. VValpurgis in Angliam miſſo.



EST Ioshoffen pagus ad *Danubium paulo infra* Neoburgum Palatinorum ſedem, cuius templum in edito colle ſitum. Lutherus, iam aliquot annorum decurijs, malus poſſeſſor inſidebat; ſed nuper inde faceſſere iuſſus eſt, antiquis honoribus S. Cruci & S. VVillibaldo reſtitutis; quod vt acciderit, hunc in modum exponitur in charta typis Neoburgi excuſa, vbi primum de prima Templi huius conſecratione agitur his verbis:

Conſe-

Consecratum est hoc Altare primum à Venerabili Domino, Domino Alberto Episcopo Ecclesiæ Castoriensis, in honorem S. CRVCIS, & omnium SANCTORVM. XI. Calend. Septemb. Anno Domini M. CCC. LXV.

Inclusæ sunt illi tunc hæ sacræ Reliquię. Particula S. CRVCIS. Cineres de S. PANCRATIO Martyre. Dens molaris S. VVILLIBALDI Episcopi Eystettensis.

Ita de Consecratione ipsa & Reliquijs istis testatur gemina inscriptio: Vna chartaceæ Schedæ; altera plumbeæ Capsellæ, quę in Altari fracto, cum Reliquijs ipsis diuinitus, sub septuagenario ferè his locis Lutheranismo, seruatis, repertæ sunt. XIII. die mensis Octobris Anno Domini M. DC. XVII.

Quas Reliquias non fuisse dissipatas ab hæresi, præsertim Altari fracto, mirum est. Et quidem de S. Willibaldi dente tam fuit apud omnes constans persuasio, vt cum Sacerdos Catholicus incolis necdum à Luthero liberatis, diceret, se in Altari insignes Sanctorum Reliquias reperisse; ipsi responderent, nimirum *Dentem S. VVillibaldi*. Sed iam regrediamur ad chartam Neoburgicam.

Quo anno (*nempe 1617.*) diuina gratia, Principe VVOLFGANGO VVILHELMO, Comi-

te Palatino Rheni, Bauariæ, Iuliæ, Cliuiæ, Montium Duce, &c. Catholica Religio, pulso Lutheranismo, in hoc templum inter alia, die XII. mensis Februarij postliminio reducta est.

Eædem verò demum sacræ Reliquiæ cum quibusdam alijs de SS. Martyribus Achatio, Sulpitio, & Aurelia, de S. VVolfgango Episcopo Ratisbonensi, &c. primū solenni Supplicatione indicta, comitante populo, ex Vrbe Neoburgo Feria II. Rogationum in hoc Templum delatæ; tum Altari huic denuo reparato, & in honorem S. CRVCIS, ac SS. Omnium consecrato illatæ sunt:

Ad

Reuerendissimo & Illustrissimo Principe ac Domino, Dn. IOANNE CHRISTOPHORO Episcopo Eystettensi, &c. Die Mensis Maij XXI. Anno salutis reparatæ M. DC. XVIII.

De fonte S. Willibaldi, qui dicitur esse inter Neoburgum & Monasterium Bergense, sileo; quia non vidi. Fertur extitisse ex lapsu equi, cui S. Willibaldus insidebat. Vix notus iam est, post tantas Lutheranismi tenebras, nisi venatoribus & siluicolis, vepribus & dumetis omnia obtinentibus, & obsepientibus. Longe præclarius facinus faceret, qui hunc locum expurgaret, quā M. Tullius,

cum

cum sepulchrum Archimedis vepribus obsitum in lucem vendicauit. Vide lib. 5. Tuscul. quæst.

In catalogo Episcoporum Eystettensium in Wilhelmo de Reichenavv, diximus, ab hoc Episcopo Reliquias S. Willibaldi, S. Richardi & S. Walpurgis vnà cum eiusdem oleo, ad Regem Angliæ missas esse; id qua ratione acciderit, ipsemet Legatus annotauit: quam annotationem veteri in Codice repertam exscripsit admodum Reuerendus & doctissimus Dominus M. Georgius Brunner Eystadij ad D. Walpurgis parochus. Ea sic se habet:

Anno salutis 1492. 13. Calend. Septembris. Fui ego Bernardus Adelmann de Adelmansfelden, Canonicus Eystettensis, à Reuerendissimo in Christo patre ac Domino Guilielmo de Reichenavv Episcopo Eystettensi, ad Inclitũ Henricum sextum Angliæ ac Franciæ Regem, Dominumq; Hiberniæ, cum historijs ac reliquijs Sanctorum VVilibaldi, VVunibaldi, VValpurgis, Richardi missus, quas in Ciuitate Cantuariensi in templo Saluatoris 10. Calend. Octob. summâ cum Veneratione ac deuotione idem Rex à me suscepit, eodem Anno 1492. atq; Vltro promisit se curaturum, vt in futurũ quotidie, in honore prædictorum sanctorum Missa celebraretur, ac singularum * septimanium eo die, quo ei reliquiæ per me præsentatæ essent, solemne officium decantaretur, præsentibus ibidem Archiepiscopo Cantuariensi, Episcopo Batoniensi, - - - -.*

* L. Septimum.


* locus corruptus.

Et inter omnes reliquias Rex Angliæ, qui se de stirpe S. Richardi esse asseruit, ab Episcopo Eystettensi missas, in primis oleum S. VValpurgis maximè admiratus ac veneratus est. Ita ego Bernardus ob gloriam meorum patronorum, qui secundo Vento meum iter comitati sunt, manu propriâ testor, precibus quorum me indignum commendo, &c.

Hactenus nobilis legati Annotatio. Sed vbi hodie sacræ istæ Reliquiæ in Angliam missæ? Nimirum vna

cum innumerabilibus alijs à Caluiniana charybdi absorptæ sunt.

CAPVT X.
De aduersarijs S. Bonifacij.


OSTES S.Bonifacij fuere itidem hostes S. Wilibaldi, S.Wunibaldi, S. Walpurgis, quia omnium causa communis erat. De his actum quidem est l. 1. obseruat. cap. 10. sed concisius, quàm par erat. Primus fuit Adelbertus siue Adalbertus, natione Gallus. Secundus Clemens Scotus seu Hibernus, manifesti hæretici, & prorsus fanatici ad modum ferme Carlstadianum, damnati in Concilio Suessionensi sub Zacharia Papa anno Christi 744. regnante Childerico Rege. iterum damnati in Concilio Germanico anno 745. Tertio damnationis sententiam tulerunt, in Synodo Romana sub eodem Pontifice Zacharia anno 745. in qua Synodo vtriusque somnia & deliria fusè exponuntur. Inseruit eam libro secundo Vitæ Bonifacianæ Othlonus, quem Tomo IV. Canisiano, & lib. 3. rerum Moguntiacarum apud Serarium inuenies. Fit mentio eorundem Epist. 135. 144. & 148. Vterque in custodiam missus est, & quidem Fuldæ. Vide Serarium notat. 32. ad Vitam S. Bonifacij. Vterque Episcopus fuerat. Liquet hoc ex Epist. 138. & 139. quæ sunt Zachariæ Papæ ad S. Bonifacium.

Ex ijsdem epistolis Zachariæ ad Bonifacium discimus alios duos S. Bonifacij aduersarios, quorum alteri Geoleobo; alteri Godalsacio, seu Godeschalco nomen erat. Vterque videtur Episcopus fuisse, æquè ac Adalbertus,

tus, & Clemens Scotus: Vocantur enim post deiectionem ex Episcopali dignitate Exepiscopi, & ille Geoleobus *falsè Episcopi honore functus* scribitur à Zacharia Papa. Quintus inter aduersarios S. Bonifacij est Sampson Scotus, de quo Zacharias Papa in epist. ad S. Bonifacium, quæ est 140. inter Bonifacianas. *Scripsit reuerenda fraternitas tua, reperisse quendam Presbyterum, genere Scotum, nomine Sampson, errantem à via veritatis, dicentem & affirmantem, quod sine mysterica inuocatione, aut lauacro regenerationis posse fieri Catholicum Christianum, per Episcopalis manus impositionem. Hic autem qui dicit, vacuus est Spiritu sancto, & alienus à gratia Christi, atque à consortio sacerdotali abijciendus. Quis enim nisi baptizetur iuxta præceptum Domini* In nomine Patris & Filij & Spiritus sancti, *& sic per manus impositionem consecretur, potest esse Catholicus? Hunc nequissimum virum talia prædicantem, ab Ecclesia DEI sancta condemnatum expelle.*

Sexto in Thuringia inuenit multos fidelium seductores, & falsos magistros; quorum in vita S. Bonifacij Willibaldus quatuor nominat, *Torthune*, *Berechtbere*, *Tanberchte & Hunred*. In Boica erat Erenuuolfus, de quo idem S. Willibaldus & Othlonus; & breuiter lib. 5. rerum Boicarum anno 733. Marcus Velserus, cuius verba adscribam. *Vix obierat Corbinianus, cum infaustum nomen Erenuolfus, homo hæreticus, primus cuius memoria inter Boios extet, si his quoque pestibus annotandis operæpretium facimus, flagitiosa impiorum dogmatum labe serendâ grassari cœpit. Bonifacius vt erat acri in diuinum cultum studio, properè accurrens, ne virus latius serperet, auctorem sceleris, maturè ex sacrorum canonũ præscripto damnatum ab Ecclesiæ communione reijcit, simul populum salutaribus concionibus admonitum, in viam reuocat.*

Tales sese S. Bonifacij hostes professos esse non magis

gis est mirum, quã quod hodie Lutherani & Caluiniani pessime oderunt omnes illos, quicunq; patrociniũ Catholicæ religionis tuendæ ex instituto suscipiunt. Nec S. Bonifacius alio animo erat, quã Sanctus ille Pater, qui dixit, se operam sedulam dedisse, vt hostes Ecclesiæ fierent etiam hostes sui.

Septimo inter hostes seu aduersarios S. Bonifacij numerant sectarij Virgilium & Sidonium duos Episcopos. sed absit, vt hos viros sanctitate præclaros S. Bonifacij hostibus accenseamus. Simultas quædam inter illos extitit, pessimorum flabellis excitata & nutrita, eo vsque tamen progressa, vt S. Bonifacius querelas suas, & contra duos illos accusationes ad Pontificem detulerit, vt planum fit ex epist. 140. quæ est Zachariæ ad Bonifacium. Quamuis ipsi quoque non fuerint elingues aduersus Bonifacium in litteris suis ad Pontificem Zachariam, vt patet ex epistola Zachariæ. Nimirum etiam sancti homines dum in hac vita viuunt, tenebris quibusdam circumfusi sunt; nec aliorum sensa, dicta, facta satis semper assequuntur, vt ea in bonam partem accipiant, vel candide interpretentur, præsertim si aliquid prauæ æmulationis vel inuidiolæ accedat.

De tota hac alienatiuncula breuiter & eleganter ita scribit M. Velserus lib. 5. rerum Boicarum. *In Boica iam tunc Virgilius & Sidonius pietatis docendæ caussa versabantur, quorum sequentibus temporibus virtus & dignitas magnopere inclaruit. Virgilio Hibernia patria; quæ Sidonio fuerit, non est proditum. Iis grauis cum Bonifacio disceptatio inciderat, de sacerdote qui latinitatis ignoratione, in sacra baptismatis formula peccare solitus: re ad Pontificem delata, aduersus Bonifacij sententiam, in hac verbare-*

ba rescriptum est. Et post recitatam Zachariæ epistolam aliisque nonnullis interiectis subiungit Velserus. *Discordia inter Bonifacium & Virgilium interim gliscebat, improbis pessimorum hominum rumoribus excita auctaque: tanto nimirum facilius, quod Moguntiaci vnus Episcopus, alter apud Boios, procul agerent, suffundit enim vires calumniæ longinquitas. Bonifacius Zachariæ questus, responsum sibi honorificum, in aduersarium asperum abstulit. Ceterum Pontifex se Vergilium euocaturum, coram de caussa cogniturum ostendit.* Epistolæ Pontificiæ hæc addit. *Disceptationis exitum non comperio. Fit verisimile, aut purgasse se Vergilium Pontifici, siue coram, siue per litteras: aut cognitis inuidorum vtrinque fraudibus, nam quâ Virgilius animi probitate & vitæ sanctimonia fuit, quæ Bonifacio renunciata, neque dixisse, neque fecisse potuit, vltrò, quod inter bonos solet, in gratiam esse reditum. Sane Bonifacius toto deinde septennio superfuit, neque istius tamen dissensionis præterea vestigium apparet. Quod quidam coniecere, non abnuerim, Virgilium de terræ specie acutius quam pro vulgi captu disputasse, globosam esse, & viuere è contraria parte qui aduersis vestigijs stent contra nostra vestigia, quos antipodas vocemus, hos perinde ac nos sole & luna lustrari: ea ignoratione audientium perperam accepta, detortaq; longè alio sensu ad Bonifacium perlata, offensionum præbuisse sementem.*


Cæterum, vt & hoc addamus, à damnato Clemente longe diuersus est Claudius Clemens Scotus, qui cum Ioanne Scoto, quem etiam Mailrosium vocant, venit ad Carolum Magnum offerens ei operam tradendi doctrinas liberales, vt est apud Balæum centur. 14. cap. 32. & 33. & Monachum Sangallensem Tom. 1. antiq. Lect. qui alterum vocat Clementem; alterum non Ioannem, sed Albinum; quem Ticinum docendi caussa missum dicit, retento in Gallia Clemente. Nihil his commune cum superio-

perioribus; nec aduersari potuerunt S. Bonifacio; nam ex Scotia seu Hibernia venerunt regnante, & vt videtur iam imperante Carolo Magno. at imperium adeptus est anno 801. regnum mortuo Pipino. 768.

Ille Ioannes Scotus vocatur etiam Erigena, à patria vom Jsland / sic enim Germani vocant Hiberniam insulam. Vertit S. Dionysium Areopagitam. multa scripsit, de quibus Balæus loco cit. & Possevin. Erroribus nonnullis infectus; & extant contra illum opuscula in Auctario ad Bibliothecam SS. PP.



APPEN-



APPENDIX RECENTIVM QVORVNDAM MIRACVLORVM, QVÆ VIRTVTE OLEI S. VVALPVRGÆ ACCIDERVNT, IDONEIS auctoribus testata.

QVOD in rębus humanis solenne est, vt res maximæ quotidiano vsu, si in promptu & oculis omnium sint, admirationem venerationemq́; exquisitiorem amittant, illud idem prodigioso oleo, quod è S. Virginis Walpurgæ sepulchro vbertim in hunc vsque diem destillat, vsuuenire videmus. Etsi enim plurimi salutari hoc liquore medicante, varias corporis ægritudines & extrema etiam vitæ pericula frequenter à se auertant, contenti tamen priuatim Sospitatrici Virgini gratias habere, incolumitatemque ipsi referre in acceptis, publicè se beneficium accepisse non testantur, nec apud eos nomen suum profitentur, qui Virginis gloriæ propagandæ rem publicis monumentis cōsignare aut cupiunt, aut debent. Quod partim eiusmodi

hominum simplicitati condonandum est, partim effusæ S. Virginis beneficentiæ imputandum, vtpote quæ tantâ beneficiorum mole supplices sibi mortales obruere statuerit, vt beneficia sua numerari nolle videri possit; quod nō guttatim ea subinde affluant, sed perenni riuo è sacro oleo prorumpentia in quoddam beneficentiæ flumen exereuerint.

Verùm ne tanti miraculi fides paulatim obsolescat, dum rarius Virginis beneficia palam hoc quidem tempore emanant, quæ sæpius audirentur, si euenirent rarius, visum est sacri olei diuinam vim tot per secula sibi cōstantem, pauculis quibusdam nuperisque exemplis testatam facere. suppeditauit ea vir virtute & doctrinâ conspicuus *R.D. Georgius Brunner* Eystadij ad D. Walpurgæ Parochus, Artium & Philosophiæ Magister, qui omnia, quæ iam narrabimus prodigia aut præsens spectauit, aut ab ijs quibus ea euenerunt, cognouit, aut laudatis alijs testibus confirmare potest.

Inprimis retinet sacer liquor solenne suum in eo, quod si contemptim & non reuerenter habeatur, repente euanescat. Præcipuè vero blasphemiarum impatiens est, adeò vt longâ experientiâ compertum sit, si ij qui sacrum oleum penes se habent, blasphemis vocibus Deum lædant, tanto thesauro eos mox priuari. Et nōn pauci aliunde è locis dissitis ad S. Walpurgam vel venerandam, vel implorandam profecti Eystadium, sanctè affirmarunt, se sacrum oleum in vasculo probè clauso sibi afferri curasse, sed vacuum recepisse, eò quod tabellarij, genus hominum in blasphemando non indisertum, maledicis in Deum vocibus sacrum liquorem fugauerint. Ita nimirum non vult Deus & S. Walpurga oleum suum peculiari diuinæ

uinæ ſuæque gloriæ augmento ſcaturiens, maledico ore contemerari.

Parturientium maximè neceſſitati hoc oleum opitulatur, & ideo ſi difficilior partus periculum minetur, ſolent Eyſtettenſes feminæ id pro præſenti remedio adhibere, euentu ferè ſecundo.

I. Anno 1618. puerpera inopis fortunæ è D. Walpurgis Parochiâ, iam præſentium omnium iudicio cum morte confligtari cœperat, ergo Parochus aduocatur, qui mulieri de peccatis confeſſæ & ſacrâ Euchariſtiâ refectæ, ſuaſit ingentem de ſalute, ope ſacri olei potiendâ, fiduciam conciperet. Fecit illa, ſacrum liquorem hauſit, & S. Walpurgæ vtique patrocinio, mox reſtitui cœpit, hodieque ſuperſtes eſt.

II. Menſe Maio anni huius 1620. Walpurga Kraußin operarij Eyſtettenſis vxor, fœtum mortuum eniti nō poterat, vbi S. Walpurgæ oleum pharmaci vice adhibuit, partu ſimul & periculo ſoluta eſt. Beneficium hoc 29. eiuſdem menſis die in ipſâ S. Virginis æde, Miſſæ ſacrificio in gratiarum actionem oblato penſari curauit.

III. Georgius Müller Fullo & Ciuis Eyſtettenſis in tantum lippiebat, vt cœcutientibus oculis tenuem etiam meridianâ luce, fulgorem, ſolummodo perciperet; quo malo integrum biennium laborauit, mirè interim patiens & in cœcos adeò beneficus, vt vxori liberiſque præceperit, ne vllum mendicum oculis captum ſine ſtipe dimitterent, ſe teſtem eſſe poſſe, cœcitatis malum omnium miſerationem mereri. Fortè circumforaneus quidam medicus Eyſtadium delatus erat, is huic homini remedium pollicitus, affectos oculos curare aggreſſus eſt tali ſucceſſu, vt miſerum ſenem omni viſu priuatum in Cimme-

rias tenebras coniecerit. Quatuor continuos menses, multis Deum precibus pro oculis restituendis fatigauerat, & ardenter calamitosam noctem deprecatus erat, cum nescio cuius suasu, monetur S. Walpurgæ oleum collyrij vice vsurpare, pluribus hoc malo laborantibus id saluti fuisse. Acquiescit senex, tribus diebus continuis, oculis illius Virgineus liquor instillatur; ille quauis nocte, D. Walpurgis ope oculorum lumen sibi redditum nō vanè somniat. Tertiâ quippe nocte exactâ expergefactus, visus se compotem sentit, hypocaustum solus intrat, pendula è parietibus vasa stannea conspicatus, vxorem & liberos inclamat, & in gratulationis partem venire iubet. Ne verò gratitudinis officio deesset, cereum collati beneficij testem D. Walpurgæ obtulit, & quinque reliquis, quibus superuixit annis tantùm visu valuit, vt nec duce egeret, nec ab arte suâ factitandâ impediretur. Totam rei seriem ipsa fullonis vxor Barbara Müllerin 70. annos nata, Parocho ad D. Walpurgis retulit; idem eidem testatus est Ioannes Belenhöfer vir ætate & moribus grauis, qui rem publicâ famâ celebratam fuisse asserit.

IV. Anno 1617. die Septembris 15. animam egit iuuenis quispiam Wilibaldus Pelenhofer fullo & ciuis Eystettensis; is omnibus Ecclesiæ Sacramentis, quibus tunc vsus esse solet, ad vltimā luctā ritè cōparatus, subito neruorū stupore manus mouere non poterat, quæ vbi sacro oleo D. Walpurgis vnctæ fuerunt, mox pristinus vigor & natiua mobilitas illis rediJt. Et quamuis iuuenis hic fato postea concesserit, abundè tamen manuum receptâ incolumitate monstrauit, se totum à D. Walpurgâ sanari potuisse, nisi magis è re ipsius fuisset, potius deinceps in cælo viuere, quam in terris. Rem ità gestam esse testantur

tut R.D. Parochus ad D. Walpurgis, & demortui parentes fratres ac sorores.

V. Eodem anno, cum R.D. Conradus Brunner tunc Parochus Thannensis prope Eluacum, nunc Ecclesiastes Collegiatæ Ecclesiæ Comburgensis, primitijs patrui sui R.D. Georgij Brunneri Parochi ad D. VValpurgis, Eystadij interesset, vasculum oleo D. VValpurgis plenum dono accepit. Id deinde vasculum, cum Eystadio domum reuertens, ad nobilem quandam matronam à Neuhausen diuerteret, in pago Fünffstetten dicto, muneris loco eidem matronæ reliquit. Illa, quod vnâ aure prorsus capta esset, remedium hoc coelo sibi demissum credebat, quare sine morâ vnam alteramue sacri olei guttulam surdastræ auri immisit, totâ interim mente S. VValpurgam inclamans; Et noluit Diua Virgo tam al hominum preces auritam, deuotam sibi matronam diutius surdastram manere, ergo eadem horâ aurem auditumque incolumem illi præstitit. Huius miraculi fidem, R. D. Conradus Brunner missis ad patruum suum litteris obsignauit.

VI. Anno 1618. hiemis tempore, puella sedecim annorum Barbara Avverin, Wolfgangi Avveri Eystettensis filia, in siluam abiuerat fratre comite, vt communi operâ ligna seu potius sarmena in vsum pauperculæ familiæ, solenni pauperum more, conquirerent. Inciderant in vastiorem truncum infelicis alicuius arboris, eumque in humeros sublatum vnà domum deferre inceperant; at in progressu puella labante vestigio sub onere corruit, truncus verò tantâ vi cadentis capiti illisus est, vt vbertim sanguis ore, naribus, auribus erumperet, puellaque ægrè languentem spiritum trahere. Quare frater corbi impositam domum retulit morieri, quam victuræ

longius, propiorem; ibi rursus sanguis ore, naribus, auribus torrentis instar effusus, aliquot vascula impleuit, & Chirurgus omnem salutis spem mox deposuit.

Accersitus ergo animæ saltem seruandæ Parochus ad D. Walpurgis, vbi ægram nec linguæ, nec propè etiam auditus compotem esse vidit, ne fortè absque criminum expiatione moreretur, nutu, vt poterat, se accusantem absoluit, & suasit vt S. Walpurgis oleo extremo huic malo medicinam quæreret; paruit illa, & vix sacrum liquorem libauit, cum mox linguę officio fungi potuit, quare de peccatis distinctè confessa, postquã Christi corpore animum pauerat, extemplo conualescere cepit, hodieque mortis suæ, cum omnino auferri nequeat, dilationem saltem sana ac integra B. Walpurgis sacro oleo acceptam refert.

VII. Eodem Anno R. D. M. Sebastianus Megerlin Monacensis, dum Theologicis studijs incumbit, adeô graues catharros, seu humorum defluxus sustinuit, vt aures illis obsessæ omni audendi facultate quinque hebdomadum spatio caruerint. Obtulit illi hospes, apud quem morabatur, sacrum Virginis nostræ oleum, quo simul ac voto ad S. Walpurgam concepto, vsus est, omnem illam humorum colluuiem diuina olei vis diluit. Adfuit Eystadij voti reus 16. Aprilis, & in templo hospitatricis suæ sacris operatus, coram eius sepulchro, de precibus suis à S. Virgine auditis utrâque sacri olei efficaciâ, quam expertus esset, fidem præsentibus omnibus fecit.

VIII. Hoc ipso sacro liquore surdastris auribus instillato auditus obicem se remouisse, testata est eodem anno mense Iunij Antistita sacrarum Virginum in Holzhaim Anna Rebingerin.

IX. Fe-

IX. Festo die Visitationis Deiparæ Virginis anno eodem, S. Walpurgis sepulchrum inuisit Nobile par coniugum vna cum Sacerdote, qui illis à sacris Confessionibus erat; accubuit vterque coniunx sacris epulis, & magna cum veneratione sacrarium virginei liquoris à Parocho ad D. Walpurgis sibi reclusum spectauit. coram quo Nobilis illa matrona, attestante tam marito, quàm sacerdote, professa est magno se beneficio S. Walpurgæ obstrictam teneri, ob oculum salutaris olei ope seruatum; quippe se coniuge absente, domestico operi cuipiam intentam, cultro incautius librato, à re, quam scindere destinarat, aberrasse, & cultri mucrone in oculo defixo, mediam eius pupillam secuisse; quare desperatis humanis remedijs, sacerdotis, qui præsens aderat, suasu, sacrum oleum læso oculo illeuisse, eius vi pupillæ vulnus mox in integrum & ad sanum coiuisse, nec se vllam amplius ex eo vulnere visus diminutionem passam. Inspexit curiosè oculum Parochus, nec vllum vulneris vestigium deprehendit.

X. Laborabat annum iam integrum morbo caduco puella decennis, Anna Bromin nomine, Michaelis Brom de pago Rottenbuch ditionis Eystettensis filia, & remedia multa incassum adhibita de humana ope desperare cogebant; ad diuina ergo confugiunt familiares, de sacro oleo puellæ præbendo deliberant, & ea quidem hebdomade, qua misella tricies singulis diebus miserandos epilepsiæ æstus humi volutata passa est. Vix allatum fuit diuinum pharmacum, & loco, vbi ægra decumbebat illatum, cum morbi vis remitti cœpit; sacro deinde oleo sumpto, triduo conualuit, & quæ antè funesto impetu sæpius in terram deijciebatur, pòst in suauem somnum labi

crebrò

crebrò visa est. Obijt hæc puella cum parente suo publicam pagi sui supplicationem, quam Calendis Maij huius anni ad S. Walpurgis sepulchrum incolæ instituerunt, parens in gratitudinis pignus aliquot oua S. Walpurgæ monasterio obtulit, tenue munus de tenui censu, gratius Medicæ Virgini futurum, quam si aureorum centurias superbis loculis Crœsus aliquis deprompsisset, magis diuitiarum testes quàm gratitudinis. Res est plurimorum testimonijs firmata & maxime parentis puellæ, qui cum illa apud ædituũ Virginei templi Paulum Marstaller diuertit, & omnia disertè narrauit.

XI. Eodem hoc anno in peruigilio Ascensionis Dominicæ Anna Fasserin Martini Fasser de Braitenfort vxor domi suæ à rabioso fele occupata fuit, qui pestilenti morsu manum illius laniauit, necquidquã verò vicinorum opem inclamans, felem pertinaci morsu de manu pendulum fuste quidem abegit, vulneris tamen periculum non depulit. Anxia igitur de remedio, audit duos pagi sui incolas, aliquot abhinc annis, similes morsus sacro virginis Walpurgæ oleo feliciter curasse; Non dubitabat etiam sibi hoc remedio consultũ iri; quater itaq; ad sacras virgines Monasterij S. Walburgis accessit rogatura sacri olei subsidium, quę ubi vulneri sacrum liquorem instillarunt, mulier omni doloris sensu libera mansit, & à virginibus ad Parochum remissa, audiente Michaele Schepfel, Monasterij ianitore, beneficium sacri liquoris recensuit, & S. Walburgæ grato animo assignauit.

XII. Ipso autem Ascensionis festo, S. Walpurgam supplex venerata est Anna Ringerlin, virgo annos admodum 40. nata, de pago Pollenfeld ditionis Eystetensis; ea de peccatis suis confessa & SS. Eucharistiã pasta, Parocho

cho ad D. Walburgis narrauit, se cum duodecim abhinc annis, aliquando sana ædibus egressa esset, repentinò morbo correptam, ipsum triduum rationis vsu destitutam, velut in phrenesi decubuisse; allato deinde haustoq; sacro liquore omnem morbum repente euanuisse.

Eadem femina sanctè affirmauit, bis se grauem ophthalmiam sacri olei collyrio depulisse, imò addidit cum primum oculis laboraret, se à S. Walpurga contendisse, vt iteratò eo morbo multaretur, quo sæpius tam potentem manum posset experiri, admirari & prædicare.

Audiuerunt hæc narrantem, præter Parochum, duo viri religiosi ordinis S. Benedicti P. Andreas Scheffier, & P. Georgius Geyger, hic monasterij Plankstetensis Supprior, ille Prior.

XIII. Non ita dudum R. D. M. Georgius Simon Ecclesiastes principis templi Eluacensis, sorori febrienti sacrum oleum libandum dederat, quo sumpto febris mox decessit, & illa conualuit. Idem cœleste hoc pharmacum feminæ ægrotanti, ac hæresi imbutæ suasit; quo cum vsa esset, sacer hic liquor omnem corporis animique morbum paulò post detersit, redijt enim ad Ecclesiæ gremium, vnde turpiter hæresi impellente profugerat. Hæc suis litteris ad R. D. Parochum D. Walpurgis D. Ioannes Simon bona fide confirmauit.

XIV. Ioannes Krell patria Monacensis, Illustri Domino de Tylli totius Bauarici exercitus copiarumq; fœdere Catholicorum Principum collectarum supremo Tribuno militari à pedibus, in reliquo Domini comitatu Eichstadium peruenit V. Calend. Martij, anno post millesimum sexcentesimum vicesimo; Ibi dum dies complusculos substitit, multa vt fit, quotidianis oppidanorum

sermonibus,& de D. Walpurgæ sanctimonia, & de operibus admirandis,ac præsertim de sacro olei fonte, quem Diuæ illius ossa copiosè exsudant, commemorari audiuit. His ille rebus inescatus, ita animum addixit, vt statueret & ipse ad eam Virginem religiosè colendam nonnihil facere : atque ne longiore fortassis mora animus intepesceret, aut pietatis consilia in obliuionem desinerent, voluit proximè statim secuturo Sabbati die ædem S. Walpurgæ sacram adire, rebusque diuinis interesse, & præmissa peccatorum expiatione cælestibus animum epulis pascere; totumque in S. Virginis patrocinium sese tradere.

Nec hic pietas stetit: insuper etiam miraculosi olei sibi copiam fieri petijt. Vitream bullam eo plenam, cum eiusdem S. Walpurgæ iconismo haud difficulter impetrauit. Præsagæ nimirum sunt pietatis artes. Nam quasi præsciret, qua parte periclitaturus esset, ita & iconem illam oleo perfusam, recenti in Diuam amore atque studio, quasi æs triplex interiori tunicæ assutam gestare cœpit; & prius nudatum pectus eodem liquore, tanquam ad palæstram, animosè perunxit.

Nec frustrata est spem Walpurga. Ita enim ossa *oleo* delibuta indurauit, vt in quemuis casum durarent; cuiusque vitam dissipari noluit, eius nec ossa violarentur.

Accidit fortè vt proximo Lunæ die, qui secundus Martij erat, Eichstadio digressus, Donavverdam peteret, inter cæteram cursorum turbam Dominum comitatus: mediam omnino iam horam ponè carpentum adambulando consumserat, cum in eo loco, quem à situ Profundam Vallem nominant incolæ, obuium habet aurigam, cuius plaustrum vino onustũ totas pænè vallis angustias

 obti-

obtinebat. Hic Ioannes dum de via cedere, & in sublimiorem collem euadere cogitat (nec enim fuga facilis erat in tam repentino casu) subita euersi totius plaustri ruina occupatur. Et quanquam vix spacium erat, magnis tamen vocibus IESVM ingeminat, opemque magnæ virginis implorat. Erant quanto breuiores eæ preces, tanto magis seriæ. Vix clamor precantis audiri cœperat, cum mox seu terror, seu quod creditu procliuius est, ipsa plaustri moles desuper incumbens vna & hominem & vocem oppressit. Viginti hominum facilè aderant. hi omnes, alter altero citius aduolare, & currum erigere allaborant. Frustra sunt omnes: nimio pondere conatum vincente, humi perseuerat plaustrum, & sub plaustro obtritissimo similis elinguis Ioannes. Vectes expediunt, trochleam admouent, ac tandem summa vi dolia plaustrumque super rotas restituunt. Quartam adeò iam horæ partem Ioannes vino (sed sobriè) sepultus iacuerat, postquam extrahendi illius facultas est data.

Sed & postquam moli subtractus est mediam planè horam tenuit, qua nullius vitæ aut animæ vestigiũ ostendit. Conclamatum erat à circumstantibus, & iam de humando cogitauerant, nisi prius in aurigam animaduertere placuisset. Is nimirum cum ad necem postularetur, vox Ioanni est reddita, qua aurigam immunem culpæ pronunciaret, liberumque mitti flagitaret. Ad hæc se præsidio Virginis Matris sanctæque Walpurgæ præsenti non iam vitæ periculo, sed morti subductum esse, quæ nisi in vltimo discrimine succurrissent, iam se se non modò ad plures, sed & in plura arbiturum fuisse. Enimuerò casu periculi plenissimo funestissimoq́;, à quo humana vi salus abire nequaquam potuisset, in memoriam sibi quàm

primum reductas esse, quas nuper de S. Walpurga conce-
pisset animo cogitationes. Hunc fauorem gratiamque à
præpotenti Deo, Augustissima Virgine Maria, ad cuius
Lauretanam ædem hoc ipso die, anno proximè præteri-
to inuisisset, denique à D. Walpurga; cuius ante oleo,
(quod secum gesserat) pectus armauisset, haud dubiè pro-
fectam esse.

Posthæc æger equo impositus, & Eichstadium redu-
ctus est. Ibi in hospitio & lecto cum haud exiguos pecto-
ris percussi cruciatus persentisceret, magnosque sangui-
nis globos ex ore eijceret, oleum sacrum D. VValpurgæ,
quod adhuc & ipsum vna cum vase, sibi integrè consta-
bat, poposcit. Porrectum est. Etiamnum præcordia pen-
dente digito inungebat, & iam dolor omnis euanuerat.
Sed & vires pristinæ redierant. Quare sanus ac valens
V. Nonas Martij ad S. VValpurgæ, rem sacram inibi in
gratiarum actionem procuraturus, accessit; semperque
se seruum D. VValpurgæ fore statuit, quem VValpurga
seruatum voluisset.

Porro vt constaret, rem bona fide narratam esse, ex
Archigrammateo Eichstettensi hoc testimonium illi at-
tributum: miraculum autem totum infra nominando-
rum Dominorum chirographo subscriptum subsigna-
tumque est. Eichstadij 8. Idus Martij Anno Chri-
sti M. D C. X X.

-o§(o)§o-



Casum

Casum ego hunc coram spectaui, biduoque ante quam hoc accideret, sacra illum synaxi in S. VValpurgæ æde refici vidi.

Ita testor.

Victorius Gilg de Imola Serenissimi Bauariæ Ducis Aulicus, & supra memorato Domino de Tylle supremo Tribuno à secretis.

Huic ego quoque rei præsens astiti.

Sic testor.

Ioannes Ludouicus Piesser de VVilthurn prædicti Domini de Tilli ephebus cubicularius.

Mirum hoc ego ipse non modò spectaui, sed & Ioannem hunc in ciuitatem comes deduxi.

Ita testor.

Adamus Camerloer, Perill. Domino de Tilli indignus substitutus.

Biduo antè mihi de peccatis, quàm casus iste, de quo fit hic mentio, contingeret, honestus vir Ioannes Krell confessus est, & postea rursus, vbi sacro S. VValpurgis

oleo adiutum sensit, confessione se expiauit, ac SS. communione refecit.

Ita testor,

Ioachimus Megglinus Societatis IESV Sacerdos.

Honestus vir Ioannes Krell Monacensis 29. Februarij Anno 1620. infra octauam festi S. VValpurgis, quod 25. Februarij celebrari solet, D. VValpurgis Parochiale Templum, eiusque tumbam inuisit, ibidem sacra synaxi refectus, antrum, vbi è S. VValpurgæ Reliquijs per lapidem suis temporibus destillat limpidissimum oleum, vidit; vrceolum sacro oleo plenum accepit. Redijt ad me altero postquam casus hic enumeratus acciderat, die, qui fuit tertius Martij, casum hunc sanctæque Virginis auxilium exposuit. Eiusdem sacræ Virginis imaginem, quam thoraci versus pectus affixerat, ostēdit, & S. VValpurgis ædem sanus & incolumis gratias acturus reuisit.

Ita testor,

M. Georgius Brunner Parochus ad D. VValpurgam.

S. Augustinus lib. 22. de ciuit. Dei cap. 8.

Etiam nunc fiunt miracula in eius (Christi) *nomine, siue per Sacramenta eius, siue per orationes vel memorias Sanctorum eius, sed non eadem claritate illustrantur,* (cum miraculis in Bibliorum volumine comprehensis) *vt tanta, quanta illa gloria diffamentur. Canon quippe sacrarum literarum, quem diffamatum esse oportebat, illa facit vbique recitari, & memoria cunctorum inhærere populorum: hæc autem vbicunq; fiunt, ibi sciuntur vix à tota ipsa ciuitate, vel quocumq; cõmunentium loco; nam plerumque etiam ibi paucissimi sciunt, ignorantibus cæteris, maximè si magna sit ciuitas, & quando alibi alijsq; narrantur, non tanta ea commendat auctoritas, vt sine difficultate quamuis Christianis fidelibus à fidelibus indicentur.*

INDEX CAPITVM.



Oleaceus liquor è sacratissimo D. VValpurgæ corpore, vberrimè destillans, adeo, & origine mirabilis est, & virtute potens, vt eum naturalibus effectibus adnumerare, non sit aliud, quam naturæ diuinā tribuere virtutē: quod ipsum, quia præsens ab Admodum Reuerendo P. Iacobo Gretsero Soc. IESV Theologo eximio, explicatus atque defensus fons VValpurginus clarissimè demonstrat, inprimis dignus est, qui editus in lucem, omnibus innotescat; inde namq; non ipsum DEVM solummodò, qui adeo mirabilis est in sanctis suis, verum & B. eius Virginem VValpurgam dignè venerari addiscent.

ita censeo.

LEO MENZELIVS, SS. Theologiæ Doctor, eiusdemque in Academia Ingolstadiensi Ordinarius Professor, Procancellarius, hoc tempore Rector, & Collegij Theologici Decanus.

